

R. S. E
4177



ARS RATIOCINANDI,

sivé

LOGICA,

ad Gallaicorum Adolescentium usum potissimum accomodata:



AUCTORE

JOSEPHO GONZALEZIO VARELA, in Regali Lyceo Compostellano publico Philosophiae Professore, Regii Senatus Advocato, nec non olim in Collegio (vulgo Majori de Fonseca) Toga purpurea praecincto.

COMPOSTEL.: FACULT. SUPP.

Ap. IGNAT. AGUAYO, Reg. Univ. Typ.

Ann. 1801.

*Longum iter est per prae-
cepta , breve, et efficax per
exempla.*

Senec. epist. 6.

JOSEPHUS GONZALEZIUS
Varela, Gallaicis adolescentibus
optima Logica instituendis.

S. D.

DUO sunt, studiosi Juvenes,
quae ad hanc Logicam conscriben-
dam me impulerunt. Aliud cerne-
re, inter talium librorum co-
piam vix unum reperiri, qui ca-
ptui vestro accommodari possit;
alii enim sunt nimis diffusi, ne-
que cogitata sua dilucidè expri-
munt: alii canonibus, & praecep-
tis menti potius obscurandae, quam
illustrandae inservientibus ultra
modum affluunt. Non nulli multis

*abstrusis , atque Metaphisicis ,
incertis , & dubiis , quasi perspi-
cua essent , referti sunt , ita ut
si alia ab aliis secernere , ad usus-
que suos quisque revocare velit ,
jam ipsum Logica institutum esse
oporteat. Non nulli circumferun-
tur , quibus exempla familiaria ,
atque perspicua tyronibus accom-
modata maxime desunt. Sunt de-
nique alii , qui Geometrarum ves-
tigiis penitus insistentes ad pue-
rorum ingenia , quae talem me-
thodum adhuc non delibarunt , nu-
llatenus apti esse videntur. Aliud
attento animo intueri , de re Lo-
gica nostratium neminem hac
aetate aliquid ex Recentiorum
sententia lucubrasse : cum mirum*

sit , quod tanti viri docti , ac
prudentes , quibus nostrae Scholae
vigent , in eis exteram Logicam
institui patiantur , quae , licet
multa bona praecepta contineat,
ob ejus tamen nimiam prolixita-
tem , atque ob plurima argumen-
ta metaphisicae implexa , in-
tellectu difficilia , ad Juventutem,
ut oportet , erudiendam haud est
accommodata ; haec enim , ut ali-
quot ab hinc annis praecipienda
usus me docuit , nec regularum
multitudine , nec eruditionis re-
conditae copia in litteris progres-
sum facit ; sed exemplis fami-
liaribus , perspicuisque doctrinis,
ordine collocatis.

Hoc vitium fere melioribus

Logicis commune Jacquierio maxime inest. Hic Auctor, sicut et ceteri, quos accuratè legi, atque relegi, Magistrorum potius, quam Tyronum manibus versari debent, nec frequenti saltem Auditorum numero idonei sunt. Quid Pueris proderit studium Auctoris, cujus multa omittere, alia supplere, alia amplificare, quaedam seligere, quaedam contrahere passim oportet? Ex quo taedium, molestia, obscuritas, perturbatio, labor pene infinitus.

Verum, ut haec omnia incommoda facilius propelli possint, jam nunc Pueris Logica studenda proponatur necesse erit, quae ad percipiendum facilis sit; quae so-

lum necessaria contineat , ut breviori via ipsi ad aliquam doctrinae praestantiam aliquando deveniant ; quae magis exemplis, quam praeceptis abundet : haec enim è memoria faciliter elabuntur , illa vero perpetuo retinentur ; quae denique tota , quin idearum ordo , atque nexus interrumpatur , memoriae commendari possit. Cujuscumque facultatis elementa non saltuatim , nec ordine praepostero discenda sunt.

Talis igitur mihi esse videtur , Juvenes , ea , quam SUPERIORI MANDATO EXCITATUS vobis nuncupatam volo. Ad cujus quidem compositionem melioris notae Auctoribus de hac materia

pertractantibus usus sum; ex eis
multa quidem lectissima ex cer-
psi, non nulla usus me docuit, non
nulla demum meditando compertus
sum; & haec omnia, sicut &
illa, quae selegi, in eum ordi-
nem, atque distributionem, quam
attentius expendi accommodatio-
rem esse ad Juvenes informan-
dos, disposui. Quare nihil à me
longius abest, quam gloria, ut
me idearum, ex quibus meum
opusculum conflatur, inventorem
existimem; omnes ipsae in Logi-
corum libris reperiuntur: anti-
quissima enim sunt, nullique no-
vitati obnoxia ratiocinandi prae-
cepta; ex quo fit, ut mihi solum
debeat ordo, atque claritas

quibus ejusmodi praecepta exhibentur, & nihil amplius.

Non dubito fore morosos aliquos censores, qui me reprehendant, quod non solum omnes quaestiones, quae in ceteris Logicis subtiliter, atque scholastica methodo agitantur, verum etiam alia quamplurima haud parvi pretii argumenta omnino praetermittam. Quibus brebiter respondeo, meum libellum non esse ad eruditorum, sed tyronum captum, usumque compositum, nec in illo reperiri aliam eruditionem, & exempla praeter ea, quae isti capere possunt. Reliqua igitur omnia potius ad Metaphisicam, quam ad puram ratiocinandi artem spectant.

Nec vero mihi tantum tribuo, ut ab ejusmodi opusculo omnia vitia abesse putem, ut me saepe non decipi, nusquam labi confidam: conatus quidem sum; ac si non potui, voluntas saltem mihi non defuit, & in ipso lucubrando nullum studium, atque curam omissi.

Quamobrem vos moneo, adolescentes, ut bonam Logicam de manibus nunquam deponatis, atque viam à me vobis stratam semper insistatis; quam si pro vestris viribus studiosè tenueritis, in spe sum fore, ut vobis sit ea mens inde exculta, & praeparata, qua possitis in qualibet materia non solum accurate co-

gitare, verum etiam prudenter
dijudicare. Mibi sané consideran-
ti, quanta sit vestri ingenii vis,
atque ubertas, licitum erit verè
hoc affirmare, earum, quas ego
vidi, gentem nullam vobiscum
posse conferri. Quapropter mihi
persuadeo, vos, si avide opti-
ma studia arripueritis, tantum
in eis profecturos esse, ut ex-
teros eruditos admiratione vestri,
atque invidentia afficere possitis.

Quod si reipsa praestaveri-
tis, vestrorum concivium haud
mediocrem laudem merebimini,
dignique profecto eritis, aliàs
qui praeclaro Philosophorum no-
mine censeamini, aliàs qui exte-
ri litterati in nostratium vitiis

carpendis oculatissimi reveren-
tiam vobis exhibeant. Huc mea
desideria omnia, huc mea vota
conspirant. Hoc igitur opuscu-
lum ad vestrum usum conscrip-
tum, tamquam amoris erga vos
mei significationem accipite in
praesentiarum. Quod si vobis
arriserit, Metaphisices elemen-
ta, quorum imaginem jam adum-
bravi, cum pervaletudinem po-
tero, perficiam, & ad vos
mittam. VALETE.

INDEX.

- De Logices natura , ejus divisione ,
utilitate , et objecto. Pag. 1.
De mentis operationum analysi, et
partibus Logicae. 4.

Prima pars Logices.

- Cap. 1. de ideis, earumque objectis. 6.
Cap. 2. De idearum origine. . . . 9.
Cap. 3. De idearum formali differen-
tia. - Quid sit idea clara , et obs-
cura. - Quid idea distincta, et con-
fusa. - Quid completa , & incom-
pleta. - Quid adaequata , et ina-
daequata. - Quid simplex, et com-
posita. - In quo consistat idearum
veritas , et falsitas. 12.
Cap. 4. De materiali idearum diffe-
rentia. - Quae sint modorum ideae.
- Quae relationum ideae. - Quae
abstractae , et concretae. - Quae
singulares , & universales. . . 22.
Cap. 5. De idearum signis. . . . 33.
Cap. 6. De vocabulorum usu, et ab-
usu , eorumque regulis. . . , 43.

- Cap. 7. De Definitione , ejusque regulis. 50.
 Cap. 8. De Divisione, ejusq. legibus. 58

Pars secunda.

- Cap. 1. De natura judicii , & propositionis. - Quid sit propositio simplex , & composita. - Quae sint propositiones incidentes. . . . 63.
 Cap. 2. De propositionibus universalibus , particularibus , et singularibus. - Quid sit propositionis qualitas, et quantitas. - Quae propositionum oppositio. - Quenam sint propositiones in methodo scientiarum usitatae. - In quo consistat propositionum veritas, & falsitas. - Quid sit certitudo , evidentia , & probabilitas. 77.

Pars tertia.

- Cap. 1. De ratiocinio , & demonstratione generarim. 100.
 Cap. 2. De Demonstratione directa, & indirecta , á priori, & á posteriori. 102.
 Cap. 3. De Syllogismis , ejusque re

- gulis. 106.
- Cap. 4. De scientia , et fide. - Quid sit scientia demonstrativa. - Quid intuitiva. - Quotuplex sit fides. - Quomodo fides humana certitudinem adquirat. - Quomodo testibus fides sit adhibenda. - Quae sit eorum qualitas, - Quae regulae ad explorandam Scriptorum fidem sint adhibendae. 122.
- Cap. 5. De errore , ejus praecipuis fontibus , & regulis ad ipsum vitandum. 133.
- Cap. 6. De Dubitatione. . . . 141.

Quarta Pars.

- Cap. 1. De Methodo generatim. 145.
- Cap. 2 De Methodo legendi , seu studendi , ejusque regulis. . 146.
- Cap. 3. De Methodo analytica. . 152.
- Cap. 4. De Methodo syntetica, - Quae sint regulae utrique methodo communes. 159.
- Cap. 5. De Concertatione literaria ritè instituenda. - Quae sint defendentis propria. - Quae oppugnantis ; & alia. 165.

DE LOGICES NATURA.

I.

CUM Logica ea sit, quae mentem in cognoscenda veritate, ac vitando errore dirigit, eam tyronibus accurata methodo tradere admodum consentaneum est rationi, ut ipsi in omni loco, et tempore rectè judicent, et ratiocinentur.

2. Logica autem duplex est: naturalis et artificiosa: naturalis dicitur facultas intelligendi, et ratiocinandi, animis innata, qua plurimi homines, imò ferè omnes, tum in vita domestica, tum publica, aliquandò bene ratiocinantur, aliorumque errores reperiunt, et patefaciunt. Artificiosa verò nihil aliud est, quam regularum collectio, quas homines longò rerum usu edocti, animadvertentes mentem nostram aliquandò errare, aliquandò benè ratiocinari ad ejusmodi errores vitandos efformarunt.

. A

3. Ve-

3. Veniuntamen usus, et experientia nos instruit, homines sibi relictos, et absque regulis ratiocinantes in infinitos errores saepenumero labi. Quare necessum est, quasdam regulas habeamus, ad quas ratiocinatio nostra dirigamus, ne imprudentes decipiamur. Quarum meliores hic trademus.

4. Logica naturalis dupliciter considerari potest, et docens, et utens: docens nuncupatur notitia regularum confusa, juxta quas mentis operationes in veritatis inquisitione diriguntur. Utens vero dicitur habitus, sive facultas, qua notitia illa regularum confusa ad usum transfertur.

5. Similiter etiam Logica artificialis in docentem, et utentem secari potest. Artificialis docens appellatur cognitio clara, ac distincta regularum, quas Logica naturalis confuse sicutam docet. Utens vero dicitur usus, sive applicatio ejusmodi regularum ad opus.

6. Quare per Logicam naturalem

inventae sunt omnes regulae, quas artificiosa clarè, ac distinctae evoluit; ex quo fit, ut haec à naturali quoad substantiam minimè differat: utriusque enim eadem sunt regulae.

7. Profectò praecepta, quae à Logica artificiosa dilucidè traduntur, ex ipsa naturali mentis indole desumenda sunt, quae quidem ipsum rationis lumen, experientiae, observationes, ac deniquè diuturna meditatio suppeditant.

8. Hinc nihil utiliùs, quàm ejusmodi Logices studium: absque eo enim non modo nemo in qualibet scientia profundam, sólidamque adipisci eruditionem; sed neque in difficilioribus communis vitae usibus sat pròvidus, cautusque esse potest: hinc homines omnibus in suis operationibus condiscere esse accuratos, rectos, et prudentes oportet: optimae Logices studio comparantur hae singulares, praeclaraeque dotes ab iudicii rectitudine pendentes, sine quibus in mille ineptiarum ipsi incidunt, quam-

quantumvis aliàs multo abundant
ingenio.

9. Praeterea Logices objectum sta-
tuimus, esse mentis humanae ope-
rationes, quatenus ad ipsas confor-
mandas, atque dirigendas omnia Lo-
gicae praecepta conferunt.

Mentis operationum analysis.

10.
Porro licet primaria animae essen-
tia, ejusque natura, sicut et caetera-
rum rerum nobis penitus ignota sit,
tamen aperte scimus mentem nos-
tram hoc peculiare habere, ut in-
telligat, ac intelligendo multas e-
xequat operationes, in quibus prae-
sertim numerantur perceptio, sen-
satio, imaginatio, intellectio, me-
moria, attentio, reflexio, abstractio,
judicium, ratiocinatio, et methodus,
de quibus singulis breviter quantum
ad tyronum captum satis sit.

11. Perceptio dicitur prima men-
tis operatio, qua objectum aliquod per-

5

cipimus, quin de eo aliquid affirmemus, aut negemus: ut dùm apertis oculis solem, arborem, aut aliam quamlibet rem intuemur. Duplex autem distinguitur perceptio; formalis nempe, et objectiva: illa est mentis actus, quo quodlibet objectum nobis representamus; haec verò nihil aliud est, quàm ipsummet objectum representatum.

12. Sensatio nuncupatur rerum sensibilibum praesentium perceptio ex actuali earundem actione in nostris sensibus producta, resultans. e. g. si arborem, aut quodlibet aliud objectum praesens inspicimus.

13. Imaginatio dicitur rerum sensibilibum absentium perceptio absque dependentia ab actuali earum actione in sensibus nostris: ut dùm nobis amicum absentem, aliaque ejusmodi repraesentamus.

14. Intellectio est mentis actus, quo res omnia insensibiles cognoscuntur, quales sunt Deus, virtus, pulchritudo, ordo, justitia, et alia hujusmodi.

15. Memoria appellatur mentis operatio, qua rem iterum immediate percipimus, simulque conscii sumus eandem jam antea cognovisse: ut dum amicorum recordamur absque alia idea; verumtamen, si hoc mediate tantum fiat, reminiscencia nuncupabitur.

16. Attentio est animae actio, qua unius eorum, quae simul percipimus, nobis magis conscii sumus, quam caeterorum, e. g. si hominis oculos contemplantes magis in sinistri, quam dexteri consideratione figimur, ac detinemur. Quare praeclarissima attentionis opera sunt abstractio, analysis, iudicium, nisi enim ipsa tantam lucem ideis adderet, easque ex omni parte verteret, et invicem compararet, multa ex quibus singulae componuntur, mens haud bene distingueret.

17. Reflexio nihil aliud est, quam successiva attentionis directio ad varia objecta, vel ad diversas ejusdem objecti partes, e. g. si arborem
ima-

7
imaginemur, possumus pro libitu attentionem nostram dirigere ad folia, tum à foliis ad surculos, à surculis ad ramos, à ramis ad truncum, deinde à trunco ipsam retrahere ad aliam quamcumque partem.

18. Abstractio appellatur quaedam mentis ab aliis avocatio, ut alia attentius contemplemur, sic dum hominis mecum loquentis solam eruditionem considero, abstraho ab illius dignitate, pietate, forma, patria cet; vel modos alicujus rei ab ipsa re.

19. Judicium dicitur mentis operatio, qua duas ideas conjungimus, vel secernimus: ut cum de sole prius percepto cogitamus, ipsum esse corpus lucidum, vel non esse equum.

20. Discursus, sive ratiocinatio est mentis actus, quo ex uno judicio aliud cum eo conexum colligitur: ut si ex hoc judicio: Petrus cogitat, inferimus; ergo existit.

21. Postremo methodus nuncupatur mentis operatio, qua perceptio-

nes, iudicia, et ratiocinia aptiori ad veritatem inveniendam, ac demonstrandam modo disponuntur, et ordinantur. Quare hæc omnes operationes, si attentius expendantur, nihil aliud sunt, quàm ipsamet sensatio in eas transformata.

22. Quamvis autem plurimas recensuerimus mentis operationes, eas tamen ad quatuor solum revocari posse putamus, perceptionem nempe, iudicium, ratiocinationem, et methodum; in totque alias partes Logicam secari, quarum prima agit de perceptione, secunda de iudicio, tertia de ratiocinio, et quarta de methodo.

PRIMA PARS LOGICES.

De ideis, earumque objectis.

CAPUT I.

23. **I**dea dicitur cujuslibet rei in mente representatio: ut cum mihi solem, equum, canem &c. represento, et ferè mente intueor, habeo Solis, equi, aut canis ideam.

24. Praeterea omnes ideae spirituales sunt; mentem enim immediate afficiunt, in qua nihil concretum, nihil admixtum, nihil cuiusdispar, atque dissimile esse potest.

25. Ideae objectum dicitur quaecumque res per illam menti exhibita, sic ideae, quae mihi canem, vel arborem exhibet, objectum est ipse canis, aut arbor.

26. Hic tamen abs re haud erit animadvertere, ne ulla tyronibus suboriatur equivocatio super vocabulis *idea*, et *perceptio*, utroque significari eandem mentis actionem, sed comparate: nam dum cognitio refertur ad mentem, quae eam elicit, vocatur *perceptio*: dum ad rem, ex qua remote profluit, et cuius imaginem exhibet, *idea*.

De idearum origine.

CAPUT II.

27. Doctrina super idearum origine sublimis est, gravis-

si-

simis difficultatibus, et per obscuris quaestionibus involuta, quae non solum adolescentum captum transcendunt, verum etiam Metaphysicae, Physicaeque lucem desiderant, de quibus nunc judicare, neque necessarium, neque opportunum arbitramur: tantum ergo aliqua utiliora, communique omnium sensu probata praestabimus.

28. Reverà omnes nostrae ideae sensu, ac reflexione comparantur: plurima enim usu, et experientia adquirit homo; reflexione verò bene multa, et majora fortassis, ex eis quae sensibus accepit, mens educit. Hinc ideae omnes ratione originis sunt, vel adventitiae, vel factitiae.

29. Adventitiae nuncupantur, quae à rebus extra nos existentibus, per sensus ad mentem appellunt: ut ideae coloris, soni, saporis, odoris cet. quae simplices dicuntur. Ex quo fit, ut pleraeque ideae, cujusmodi sunt primaevae, seu singulares, appellentur adventitiae.

30. Factitiae sunt, quas mens ab illis, quae sensibus comparantur, depromit; quod quidem fit, vel eas conjungendo, vel dividendo, aut ad ipsas respiciendo: ut si mens ideam hominis, coronae aureae, sceptri, satellitii, paludamenti cet. conjungit, Regis ideam efficit. Sin autem in Regem ita ornatum intuens, in eo sigillatim considerat, tum faciei lineamenta, tum oris dignitatem, tum staturam, cet. elicit, ac format tot alias ideas. Sin demum ad suasmets ideas respiciens animadvertit unamquamque objectum aliquod menti exhibere, cognitionis ideam producit. Quae quidem exempla quam optime probant mentem humanam mirra gaudere virtute, ideas cum ideis conferendi: ex quo infinita idearum soboles nascitur, quae plerumque compositae audiunt.

31. Addunt Platonici, et Cartesiani ideas innatas, quas in anima ab ejus creationis exordio insculptas esse a Deo ipsi supponunt, quales sunt
ideae

ideae Dei, Entis, Essentiae, Existen-
tiae, Angelorum &c., sed tales ideae
fictitiae, aut nullae esse videntur, de
quibus nunc superfluum est disputare.

De idearum differentia.

Ideae inter se collatae, vel
32 **I**quoad repraesentationis mo-
dum, vel quoad objectum repraesentatum differunt: illa differentia for-
malis; haec materialis vocitatur.
Utraque particularem attentionem
exposit.

De idearum formali differentia.

CAPUT III.

33 **S**I ad modum quo objecta
ideis exhibentur, attendamus, eas primo reperimus esse claram, vel obscuram. Idea clara ea dicitur, quae objectum repraesentatum determinatum, ut illud à quocumque alio facile distinguamus; secus autem obscura. Sic solis, canis, leonis, hominis ideam claram omnes
Sunt ha-

habemus; at verò alicujus animalis peregrini obscuram, dùm haeremus, nùm idem sit cum alio quondam à nobis viso.

34. Porrò advertendum est eandem ideam secundum diversas notas, rei que caracteres posse esse simul claram, et obscuram. Videnti rem à longè sese spontè moventem, neque agnoscenti, utrum sit homo, an bellua, clara ei suboritur idea generis animantis; obscura verò formae, aut speciei.

De idea distincta, et confusa.

35 **D**iscerni autem possunt objecta, quin eorum notae cognoscantur, atque ita sanè discernit vulgus; et tunc solum idea clara dicitur; quod si notas, quibus ab aliis objectum distinguitur, exprimat, distincta etiam evadit. Sic qui in Sole magnitudinem, figuram, splendorem, distantiam, motum discernit, Solis ideam habet distinctam.

Huic

Huic confusa opponitur; sed confusa insuper erit idea, quae objecti notas omnes, simul et ferè in confuso repraesentat, vel quae eas non distinguit. Sic qui inter multas machinas horologium distinguit, quin quot, et quales ejus sint rotulae, quoque inter se nexu junctae intelligat, hic quidem horologii ideam claram, sed confusam habet: itaque alicujus rei idea potest esse simul clara, et confusa.

36. Praeterea idea confusa objecti, in quo nonnulla sunt, quae discerni possunt, qualis est horologii notio confuse percepti, fieri etiam potest distincta; secùs autem idea confusa objecti, in quo nihil distinguendum reperitur, qualis est coloris rubri notio, quae quidem semper confusa manet, quemadmodum caeterarum qualitatum sensibilium ideae.

37. Hinc idearum affectiones, claritas nempè, obscuritas, confusio, et distinctio relativae plerùmque sunt

sunt ad ingenium, ad cognitiones, jam comparatas, et ad educationem. Quare haud nobis putandum est, quas alius claras, vel distinctas non habet ideas, alteri quoque obscuras esse. Distinctio sicut, et obscuritas potest esse major, et minor, ut nempe erit notarum, quae pernoscentur, numerus, modusque cognitionis magis, aut minus perfectus; videlicet si quarumdam notarum quae nobis erant antea praesentes, obliviscimur, vel si aliquas ad rem agnoscendam, atque ab aliis discernendam sufficientes perdiscimus.

38. Qui observationi, ac meditationi operam haud navant, ideis obscuris, et confusis saepe laborant, praesertim de rebus, quae sensibus non subjacent, quaeque reflexionem, et multarum idearum collationem necessario requirunt: ut sunt ideae ordinis, virtutis, honoris, gloriae, pulchritudinis, justitiae cet., de quibus frequentius loquuntur, quin ipsi intelligant.

39. Sed, et aliae sunt causae obscuritatis, et confusionis idearum, inter quas praecipuè recensentur mentis brevitatis, memoriae defectus, sensuum imperfectio, impresionum multitudo, earundem levitas, ut si objectum minimum sit, vel remotius, nimia deniquè ipsius compositio. Quae quidem causae, cum notae sunt, tolli è medio possunt, iisdemque obviam itur, in quo omnem curam, et diligentiam adhibeamus oportet, quanta est adhibenda, ut nostrum ideae clarae, ac distinctae evadant.

De idea completa, et incompleta.

40 **C**ompleta idea ea est, quae notas, seu characteres omnes ad rem quamcumque in quolibet statu agnoscendam, et ab aliis discernendam sufficientes exhibet: ut si dico homo est vivens, quod loquitur, intelligit, discurrit, et omninò liberè operatur, habeo hominis

nis ideam completam; incompleta
 verò ea dicitur, quae notas aliquas
 complectitur, ut cum dico hominem
 esse animal loquendi compos; haec
 idea nominatur incompleta: nam, et
 reperiuntur belluae, quae loquendi
 compotes sunt.

De idea adaequata, et inadaequata.

41 **I**dea adaequata ea dicitur,
 quae omne id quod in objec-
 to absolutè cognosci potest, reprae-
 sentat, vel quae non solum objecti
 notas seorsim, ac distinctè, verum
 etiam harum notarum notas exhi-
 bet; secùs autem inadaequata audit.
 Sic qui in hominis vita, loquela, ra-
 tione, et libertate notas distinguit
 notas, hominis ideam habet adae-
 quatam; qui verò ejusmodi notarum
 notas haud discernit, idea inadae-
 quata praeditus est.

42. Caeterum cavendum est, nè
 adolescentes temerè inadaequatas
 ideas veluti adaequatas sibi effin-

B

gant;

gant, ex quibus deinde aliquid audeant inferre: quamvis enim omnes notae ipsis perfectae videantur, evenire tamen potest, ut aliud explorandum supersit: paucissimae itaque aut ferè nullae ideae adaequatae hac in vita comparari possunt, cum hoc solius Dei sit maximè proprium.

De idea simplici, et composita.

43 **I**dea simplex ea est, quae in alias ideas resolvi nequit: ut sunt ideae coloris, saporis, soni, odoris, cet., quae adventitiae simplices dicuntur; non enim partes ullas in eiusmodi ideis reperire valemus, licet earum objecta, ut corpus coloratum, sapidum, odoriferum cet. in partes distinguantur. Idem de ideis, quae reflexione adquiruntur, statuendum est, ut sunt ideae volitionis, cogitationis, nolitionis, perceptionis cet. nam in hisce ideis nullae designari possunt notae.

44. Hinc certum est eiusmodi
ideas

ideas clariùs exponi nequire, quàm menti affulgeant; neque enim ex aliis ideis coalescunt, in quas attenuari possint, et quarum enumeratione illustrentur; alias definiendi finis nullus esset, neque controversiarum certum ullum, stabileque fundamentum.

45. Composita idea dicitur, in qua plures ideae simplices intelligi, et inveniri possunt, ut idea auri, domus, exercitus, hominis cetera. Nam hae ideae plures partes, ex quibus plurimae aliae ideae effingi queunt, exprimunt, ut inquirenti patebit. Itaque magna idearum pars, si paucas illas à nobis supra relatas excipias, compositae audiunt.

46. Attamen idea composita per simplices explicari, et defini potest, ut aurum, per colorem flavum, ductilitatem, pondus, et dissolutionem in aqua regia, ex quibus conficitur. Item idea hominis, quae factitia simplex appellatur per ideas entis, sentientis, et cogitantis, quas
mens

mens ab illo ulterius abstrahit: ex quo fit ut ideae factitiae simplices per alias ab ipsis abstractas defini-ri, et explicari possint, ut homo, qui definitur *ens sensus, et cogitationis particeps*, quatenus earum simplicitatem ipsa mens ulterioribus abstractionibus destruit.

De idearum veritate, et falsitate.

47 **I**Dea apud Logicos vera dicitur, quae objecto suo conformis est; secus autem falsa: ut idea, quae mihi virgam rectam aquae immersam, veluti curvam repraesentat, falsa audit; non enim objectum exhibet, ut oportet; si autem ipsum ostendit, ut existit, erit vera.

48. At si accuratè loquimur, veritas, et falsitas non propriè in ideas, sed in iudicium cadunt, ideae enim per se ipsae impressiones sensibus receptas, quales objecta, res, situs, distantia, medi in, atque organi

con-

conditio exposcunt, simpliciter repraesentant. Nihilominus fateri oportet, ideas nobis suppeditare occasionem saltē verē, aut falsē de rebus judicandi.

49. Quare hic vos monitos velim, adolescentes, ut nihil clarius esse, quā ideas in se ipsis consideratas, et cum relatione ad objectum, quod exhibent, intelligatis; nimirum quatenus ipsae dicuntur cogitationes, quas nuncupamus perceptiones: sensus intimus eas prodit, propriumque est naturae nostrarum cogitationum perspicue cognitae esse; at dum ideae comparatē ad objectum externum expenduntur, non semper sunt clarae, quia haud perpetuo relationes, quas cum rebus, ut sunt in se ipsis, habent, et veluti eas repraesentare debent, ut sint accurate, cognoscuntur. En exemplum: quando turrim intuemur, licet quadratam, ob longinquitatem percipimus rotundam, objectum idea exhibitum quam tunc habemus, est

turris

turris rotunda; sed objectum externum, quod idea exhibere deberet, ut esset accurata, oportebat esse quadratum. Undè oritur ejusmodi ideam esse claram, si relatè ad objectum quod repraesentat, inspiciatur; at obscuram, et confusam comparatè ad objectum, quod nobis exhibere deberet, quod est turris quadrata.

De materiali idearum differentia.

CAPUT IV.

50 **S**I res ipsas inspiciamus, nullo negotio intelligemus omnes ideas ad tres veluti clases, substantiam nempè, modos, et relationes posse reduci. Idea substantiae ea est, quae nobis rem exhibet subiecto non indigentem, cui inhaereat ad existendum, ut idea ferri, ligni, arboris, equi cet. Verùm quid sit eorum omnium substantia, non nisi valdè obscurè cognoscimus: caveant ergo tyrones, nè putent super

per substantiae natura ideam claram ipsos habere. Quis enim audeat dicere se aliud in ferro ex. g. reperire posse praeter colorem cineritium, gravitatem, duritiem, fusionem in igne, extensionem, consumptionemque rubigine?

Modorum ideae.

5^r **M**odi idea ea nuncupatur, quae quidquid substantiam ornat, eique adhaeret, repraesentat, ut colores, figura, magnitudo, pulchritudo, sapientia, bonitas cet. Hinc Modi, vel sunt interni, vel externi. Interni, qui et Physici appellantur, sunt qui substantiae ipsi inhaerent, et absque ea omnino esse non possunt, ut curvitas baculi, rotunditas cerae, albitudo salis cet. Externi vero, qui et morales nominantur, sunt qui ipsi substantiae non adhaerent, sed a nobis concipiuntur, quasi in ipsa essent; ut dum dicimus esse rem volitam, esse odio habitam cet.

De relationum ideis.

52. **R**elationis idea ea est, cujus una ad aliam refertur, ita ut alia sine alia cognosci nequeat, utraque autem idea nuncupatur relativa. Sic idea Patris ad ideam filii, idea Creatoris ad ideam creaturae, idea Principis ad ideam subditi cet. refertur.

53. Hinc relatio in creatis non est aliqua res, quae creetur, et in objecto sit, sed merum nomen, appellatio, et denominatio, quae alicui rei tribui potest, dummodò adsit causa in ipsa re. E. g. dum cognoscimus Petrum, ut in se est, haec dicitur idea Petri, quod si eum mente referimus ad patrem, et animadvertimus, Petrum esse filium Pauli; hoc nomen filius est relatum: denominatio filii, quae Petro adhaerere fingitur, dicitur relatio; cognitio, quae percipit, Petrum esse filium Pauli, est idea relationis.

54. Porro nullam rem inveniri, quae haud possit esse relationis fundam-

damentum, liquido constat: nam quamlibet rem tot, tamque diversis modis considerare valemus, ut non solum ad unam, verum etiam ad plures alias referamus: nimirum inter quascumque res semper aliquid interest convenientiae, vel discrepantiae, vel similitudinis, aut dissimilitudinis, vel aequalitatis, vel inaequalitatis, aut parvitat, vel magnitudinis cet.

De ideis abstractis, et concretis.

55 **I**dea abstracta ea est, quae aliquid subjecto inhaerens, veluti ab ipso separatum repraesentat: ut si color nivis sine nive, aut rotunditas cerae sine cera concipiatur, erit idea abstracta; quae vero possunt sejungi, non abstrahuntur, sed dividuntur. Quare abstractio perperam cum divisione confunditur; ut si arboris ramos tantum consideremus, certè abstractio non est.

56. Cavere autem debent adolescen-

centes, nè quae separatim considerant, ita existere arbitrentur; in quo quidem multi olim turpiter lapsi sunt. Enimverò idearum singularium objectum, in quibus ita abstrahendo versamur, non existit eo modo, quo à nobis concipitur, sed cum aliis conjunctum.

57. Idea concreta ea dicitur, quae nobis exhibet subjectum simul cum suis modis, et attributis, ut nix alba, homo doctus cet.

De Ideis singularibus, et universalibus.

58 **I**dea singularis nuncupatur, quae rem omnino determinatam, et ad se ipsam terminantem repraesentat: sic idea amici mecum colloquentis singularis est.

59. Idea universalis ea dicitur, quae rem exhibet multis communem: perceptis e.g. pluribus hominibus, si per ea quae differunt, aspernemur; concipiamus verò id solum, in quo omnes conveniunt, ideam hominis
uni-

universalem effingimus, ideam nempe quae complectitur esse animal, et rationale, quod omnibus hominibus scilicet Petro, Paulo, Francisco cet. commune est.

60. Hinc sequitur ideas universales esse nostrae mentis opus in eo fundatum, quod in rebus existit, atque opus abstractione confectum: abstractione nempe, ut ajunt similitum. Praeterea idearum universalium magna est utilitas, ac praesentia; iisdem non solum brevitati adeo necessariae studemus, innumerisque ferè de rebus simul agimus, quas impossibile esset sigillatim persequi; verum etiam tantum bestiis antecellimus, quantum ratiocinio valemus, quod idearum universalium usum postulat; unde suscipere possumus, et ad finem omnium magnarum rerum, artiumque disciplinam perducere.

61. Quare ut idearum universalium formatio melius intelligatur, exemplum addere non abs re erit.

Cum

Cum ab objecto singulari Cicero abstrahimus eloquentiae Principatum, Consulatum Romanum, Civem Romanum, aetatem qua vixit, ipsam denique existentiam, adquirimus objectum indeterminatum, ac universale homo.

62. Porro quemadmodum ideae singulares per abstractionem fieri possunt universales; ita inversa operatione ideae universales per compositionem effici queunt singulares. Sic ex objecto indeterminato homo, quod menti obversatur per continuam notarum determinantium additionem mente conceptam e.g. existentiam qua vixit, locum, jus civitatis Romanae, Consulatum Romanum, Principatum eloquentiae, objectum singulare Cicero efformamus.

63. Praeterea in qualibet idea universali duo sunt, quae attentionem exposcunt, comprehensio nempe, et extensio. Comprehensio sese refert ad ideas, ex quibus universale constituitur: sic hominis ideae universalis

salis comprehensio absolvitur hisce notis: vita, sensus, et ratio in ea repraesentatis; extensio verò ad singularia, quae idea universalis complectitur: sic ad extensionem ideae hominis pertinent omnia individua humana, quibus illae notae conveniunt.

64. Hinc comprehensio, et extensio inter se comparatae ejus sunt naturae, ut una aucta minuatur altera; et è converso, ut si in animalis idea, quae vitam, et sensum exhibet, augetur comprehensio, adjiciendo scilicet notam ratio, minuitur extensio; eae enim notae vita, sensus, et ratio solis hominibus, minimè verò belluis ad extensionem ideae animalis spectantibus, conveniunt. Item si in hominis idea attenuatur comprehensio per separationem notae ratio, augetur extensio: etenim vita, et sensus non solis hominibus, sed bestiis quoque conveniunt.

65. Ex ideis universalibus genera, species, ac differentiae effinguntur, quae

quae nihil aliud sunt quàm rerum clases. Genus itaque nuncupatur similitudo specierum, vel illa nota essentialis, in qua duae, aut plures species inter se comparatae perpetuo conveniunt, ideoque ejus modi notam repraesentans, dicitur generica; sic homo comparatus cum bellua in eo semper convenit, quod habeat vitam, et sensum, quae per vocem animal indicantur: animal igitur est genus.

66. Itaque scire debent adolescentes diversas esse generum clases, quae ita distribuuntur, ut id quod altius nullum est, supremum: id quod nullum genus infra se habet, infimum, vel proximum: reliqua, quae iis intercipiuntur, quorumque semper unum altero est superius, generatim subalterna, sive intermedia nuncupemus. Sic genus hominis supremum dicitur ens: infimum seu proximum, animal: subalterna vero, sive intermedia directè ascendendo vivens, substantia, existens.

67. Species est similitudo individuorum, vel illa nota essentialis, in qua plura individua inter se comparata perpetuò conveniunt, et idea, quae eandem notam exhibet, dicitur specifica. Sic Petrus, Paulus, Antonius, cet. si inter se conferantur, perpetuò in eo conveniunt, quod habeant vitam, sensum, et rationem; quae proindè voce homo exprimiuntur: homo igitur est species. Item brutorum individua in eo semper conveniunt, quod habeant vitam, et sensum sine ratione, quod vocabulo brutum indicatur: brutum igitur est species.

68. Quarè patet rerum distributionem in genera, et species ab hominum arbitrio maximè pendere; ex ratione enim, qua res considerantur, statuimus communem habere totam essentiam, vel ejus partem tantummodò: at si animalia concipiuntur comparatè ad homines, constituunt genus: speciem verò, si comparatè ad omnia viventia.

69. Multi olim generum, et specierum cognitionem ita in pretio habebant, ut per eam rerum singularium naturam, omnesque proprietates posse revelari existimarent; ac simul observatione neglecta, rerumque generibus, vel speciebus praefinitis, nullam amplius sollicitudinem animum in earum investigationem intendendi adhibuerunt.

70. Differentia denique nuncupatur illa nota essentialis, quae inter multa ejusdem generis discrimen ponit: ita rationalitas inter animalia, quae uno genere comprehenduntur, differentiam constituit; idea ejusmodi notam repraesentans pariter differentialis audit.

71. Caveant igitur tyrones, nè putent ea quae abstractè dicuntur, reverà ita se habere; communiaque esse cum multis individuis. Natura enim Petri non est in Paulo, neque è converso, sed solùm quaedam huic similis. Extant ergo dumtaxat individua, quorum similitudo efficit,

ut

ut ideas universales sensu vulgato effingamus. Homo in genere utique non existit: ex natura autem hominis deductae sunt notae genericae, ex quibus idea illa universalis confecta est.

De idearum signis.

CAPUT V.

72 **V**Oces nostrum studium, et operam postulare nemo est, qui ambigat, praesertim si ad illam propensionem, quam homo à Deo accepit ad sua cogitata cum suis similibus communicanda, attendamus. Ex qua communicatione societas humana, humanaeque societatis voluptas omnis existit. Ad hunc finem consequendum nihil aptius, pulchriusque reperiri potuit, quam nostras cogitationes ita humanis vocibus alligare, ut eis auditis, quae alii in animo concipiunt, plane perciperemus. Cum enim tanta sit

facilitas, voces pronunciandi, quantum nos intelligere quoddam modo possumus, expendere aequimus; nulla excogitari poterat accomodatior via ad infinitam perceptionum copiam, incredibilemque percipiendi celeritatem declarandam, quam voces, quae, et ferè infinitae sunt, et innumeris penè modis fingi, et moderari possunt.

73. Signum generatim definitur id quod praeter sui ideam excitat in animo ideam alterius rei: ut vox Alexander Macedo excitat in mente ideam Alexandri Magni.

74. Hinc signum aliud est demonstrativum si nempe res significata praesens sit; sic ex vultu, voce, et gestu hominem iratum intelligimus: aliud dicitur pronosticum, si res significata futura sit, qualia sunt signa tempestatis imminenti: aliud denique rememorativum, seu memoriale appellatur, si res significata praeterita sit, ut Iris est signum foederis, quod Deus cum nemo pepigit.

75. Signum iterùm in naturale, et artificiale secatur. Signum naturale cum re significata habet nexum ex ejus natura derivatum; sic fumus est signum ignis naturale: lachrymae doloris. Artificiale verò ex hominum institutione, et arbitrio rem aliquam significat: ut ramus in caupona vinum repraesentat; laurea in hominis capite triumphum. Ex quo fit, ut signa artificialia, quorum vis significandi ab ipso voluntatis arbitrio pendet, naturalibus opposita sint, et indifferentia ad quamlibet significationem, cujusmodi sunt voces, quae apud Philosophos more recepto termini audiunt.

76. Hic abs re haud erit de naturalibus signis advertere, homines in errorem saepènumerò labi, dum ex illis rem significatam inferunt: sunt enim haec signa, vel effectus, quae causas, vel causae, quae effectus ostendunt, ut in signis rerum futurarum apparet. Iidem autem effectus tum ab una, tum ab alia causa

nascuntur; nec eadem causa eosdem semper effectus producit; sed multa reperiuntur, quae causarum actionem determinant, suspendunt, et etiam penitus immutant. Haud igitur necessario, et semper signum naturale rem certam indicat; sed à multis pendet, quod eo una potius, quam alia ostendatur. Hinc signa affectuum animi sunt naturalia; eos tamen non semper indignant, illeque in perpetuo versaretur errore, qui de affectibus ex eorum signis judicaret.

77. Pro compertò etiam habetur animae nostrae cogitata voce, scriptura, et gestu exprimi posse. Vox autem definitur sonus articulatus ab homine prolatus ad manifestandas animae cogitationes institutus: per ejusmodi enim verba non solum nostrae voces à belluarum confusis, quales sunt mugitus bouum, ballatus ovium, latratus canum, cet. verum etiam à Psitacorum, vel picarum vocibus temere prolatis secer-

cernuntur. Scriptura, ut vox, et rerum, idearumque arbitrarium signum est: illa est hieroglyphica, vel vulgaris: hieroglyphica dicitur imago quaedam sensibilis rem aliquam prius significans, quam vocem; sic oculo in baculi extremitate collocato Dei providentiam indicabant Aegyptii, quorum mos erat characteribus hieroglyphicis, et figuris uti. Scriptura vero vulgaris nuncupatur figura sensibilis permanens, vocesque prius significans, quam res ipsas, vel rerum ideas.

78. Gestus denique dicitur corporis, vel partium ipsius sensibilis motus, animi cogitata, ac potissimum affectus exprimens: non enim solum ore, oculis, naso, manibus, corporis situ, habitudine, cet., ut ita dicam, loquimur; verum etiam animi nostri affectus consequuntur naturaliter motus quidam sensibiles in partibus corporis organicis; sic dolorem gemitus, et suspiria saepe indicant, laetitiam risus, timorem

pallor, pudorem rubor in facie, iram ardor in oculis cet. Quae quidem signa actionis, quam vocant linguam, conficiunt.

79. Usu autem, atque experientia compertum est facilem, expeditam, ac secretam idearum communicationem hac lingua minimè adipisci; distantia, interpositoque corpore omninò impediri: sensim igitur ab ea recedere coguntur homines, ad ipsamque feruntur, quae voce distincta, et articulata nititur. Nihilominus ejusmodi actionis lingua, vocibus jam inventis, homines aliquandò usos fuisse probat Pantomimorum Roma comaediam agentium historia. Si Comaedi scenam incipiebant, et absolvebant, quin nè unicum quidem verbum proferrent. Qui igitur ad hanc linguam paulatim formandam aspiraverunt ipsi? Nonne signa arbitraria imaginando? minimè; non enim tunc intelligerentur, aut populus studium, quod ab ipso certè factum non esset, efficere

ere coactus fuisset. Oportebat igitur Pantomimos à signis naturalibus ab omnibus intellectis ordientes, analogiam capere pro duce in electione signorum, quae illis opus erat invenire, et peritiores dicebantur illi, qui hanc analogiam majori calliditate sequebantur.

80. Reverà voces esse signa rerum arbitraria ad quas significandas institutae sunt, liquet ex linguarum, quae in orbe terrarum reperiuntur, varietate: adsunt enim permultae voces, quae nihil Hispanis significant, Polonicis, et Anglicanis, vel aliquid, vel aliud omnino diversum; sic vocabulum Bog Polonicè ens perfectissimum significat; at Penes Anglos boraginem exprimit; Hispanicèque nihil.

81. Reperiuntur etiam plurimae voces in eodem Regno, Provincia, et Urbe, quae pro hominum libitu aliud, et aliud indicant. Sunt quoque aliae, quae in usu apud plebem inveniuntur, quas politi homines, et

urbani haud intelligunt. Sunt denique, quae aulicis, quae Philosophis, quae Poetis, quae aliis disciplinarum professoribus familiares sunt. Quot, et quanta, si officinas, ac quascumque tabernas curiosè percurras, audies vocabula, quae quamvis lingua vernacula instructus sis, vel nunquam audisti, vel aliud significare putasti?

82. Praeterea voces dicuntur etiam signa arbitraria perceptionum, quae ipsis rebus respondent; per voces enim aliis manifestamus cogitationes nostras, aliorumque cogitata cognoscimus: quemadmodum verò notiones nostrae nuncupantur ipsarum rerum repraesentationes; ita quoque voces ipsarum rerum signa, ut haec vox *homo*, quae dum effertur, aut scribitur non solum hominis nomen indigitat, verum etiam rem ipsam hoc nomine repraesentatam.

83. Nec verò sunt omnia vocabula hominum opus, in quo ipsi nihil aliud quam arbitrium rectè sequuntur; adest enim quaedam similitudo,
et

et analogia impressionis à rebus, et à vocibus excitatae, quam insequamur aliquando necesse est: ut cernere licet hisce in vocibus, *crux, mel, vepres, furens, turbidus, languidus, hinnire, bubulare, latrare, cet.* Si homines in vocibus condendis analogiam initio insectati fuissent, nostra lingua forsàm magis accurata esset, nec tanta obscuritate laboraret.

84. Advertendum est etiam duplicis generis distingui posse voces, primitivas nempe, et derivativas: primitivae dicuntur, quae ab aliis anterioribus haud oriuntur, ut in sermone litterae praesertim vocales, et in Arithmetica notae numerorum solitariae: voces autem derivativae sunt, quae ab aliis anterioribus ortum ducunt, ut vocabula, quae ex aliis jam constitutis effinguntur. Hinc voces cum derivationis naturam imitentur non sunt arbitrariae, pendent tamen à primitivis omninò arbitrariis.

85. Porro notandum est multas in qualibet lingua reperiri voces, quibus

bus praeter significationem principalem alia subest accessoria, qua obscenae, vel impudentes, aut è contrariò honestae, et verecundae evadunt: e. g. hae vox *mentiris*, si propriè sumatur nihil aliud significat, quàm dicis alitèr, ac sentis; sed ex usu aliquis contemptus, aut contumelia in ea voce *mentiris* includitur, cujus significatio secundaria appellatur, qua contingit, ut quisque illa offendatur; non verò ista oratione dicis alitèr, ac sentis. Haec autem significatio secundaria interdùm ipsi voci alligatur, interdùm non item; sed vel à corporis gestu, vel ab oris conformatione, vel ab ipsa vocis intensione, et remissione, vel à sermonis contextu, caeterisque adjunctis pendet. Idcirco qui ejusmodi verba alio gestu, aliisque adjunctis profert, nihil incommodum, aut nefarium exprimit.

86. Ex quo constat vocabula, si ad primariam significationem attendimus, obscaena haud esse: etenim
 nulla

nulla res; quantumvis turpis reperitur, quae non aliqua honesta voce possit significari. Quod si voluntatis affectum, qui tali verbo secundariè indicatur, expendimus, vel honesta, vel inhonesta vox audit. Nam si ita rem significat, ut simul ostendat hominem haud nisi coactum talia proferre, eaque verba usurpare, honesta vox existimatur: id enim probi homines, et urbani exequuntur; secus foeda dicitur, et de trivio.

De vocabulorum usu, et abusu.

CAPUT VI.

87 **U**T melius hanc materiam intelligant Logices tyrones, sequentes leges observare debent.

I.

Principio iis tantum vocibus uti debemus, quibus certae ideae significatio adjiciatur; secus abutemur perversè auditorum patientiâ, sonos innanes proferendo, quod quidem fre-

frequentissimè contingit: major enim hominum pars, neque indoctorum modo, sed etiam eruditorum, quod à teneris unguiculis vocabula quaedam in familiari sermone usurpare assueti sunt, quàm plurima infarcit; quae tamen ipsi interrogati, quid significant, nesciunt exprimere, e.g. cum vellent aliqui exponere, quid sit memoria, dixere esse *thecam*, *repositorium*, idearum *receptaculum*; et sibi persuassere se intelligere, quod enunciabant; quod secus evenit: nam voci *theca*, *repositorium*, *receptaculum*, dum animo nostro attribuitur, nulla clara respondet idea.

II.

88. Praeterea cavere debemus, nè cogitata nostra verbis obscuris exprimamus. Nam vox obscura conjunctam habet obscuram notionem: illa ut, qui audit, ab aliis non distinguat ideam illi respondentem. Exemplo sint haec vocabula apud Aristotelem *entelechia* nempe, *materia*

ria, forma, cet. quae nihil ferè significant. Item *antiparisthesis, antipatia, sympatia, natura universalis, species intentionales*, aliaque sexcenta penès multos Philosophos.

III.

89. Caveamus etiam oportet, nè uni vocabulo plures ideas affingamus. Quod si ita effcimus, qui audit, haud intelliget de qua notione loquamur. Quot, et quanta jurgia in scholis excitantur, propterea quod huic regulae non adhaerent disputantes? hujusmodi sunt haec vocabula *materialitè, formalitè, essentialitè cet.*: diversae enim significationes aliis, et aliis temporibus unicuique eorum tribuuntur.

IV.

90. Abstinerè debemus à verbis indeterminatis, aequivocis, et translatis. Nam vocabulum indeterminatum, seu vagum dicitur, cui eadem notio perpetuò non respondet, sed

est

est multis rebus interdum dissimilibus commune: hujusmodi est vox *mundus*, quam aliqui sibi repraesentant, tanquam compositum ex coelo et terra: deinde in coelis distinguunt sidera, in terra mineralia, fluvios, et alia: alii ad alia attendunt, et mundum sibi aliter imaginantur, prout haec, vel illa corpora potius observant, ex quo nascitur vaga hujus vocis notio, qua fit, ut penes quosdam significet spatium universum omnia corpora continens; penes alios corpora contenta tantum, interdum solam terram, interdum solum genus humanum.

91. AEquivoca audiunt, quae pluribus rebus natura differentibus attribui possunt: ideoque nuncupantur indeterminata. Ea itaque sedulo vitare debemus, si volumus intelligi: exemplo sit nomen *homo* quando tribuitur homini viventi, et picto, et statuae.

92. Translatum appellatur, quod, cum alteri adjungitur vocabulo, nobis

bis videtur propriam significationem amittere, aliamque induere: exempli gratia flumen propriè significat aquam, quae in alveo fluit ad mare. Attamen, cum apud Ciceronem legimus: *nullius tantum est flumen ingenii, nulli dicendi, aut scribendi tantavis, tanta copia, cet.*, judicare debemus non proprio sensu, sed per metaphoram dici.

V.

93. Philosophus vocabûlis uti debet secundum communem loquendi usum, e. g. si de rebus domesticis, vel forensibus, vel publicis loquatur, quotidianis vocibus, et in vulgari acceptione uti debet; sin autem Philosophorum verbis aliquid exprimere necesse sit, sumet illa in eo sensu, quo ipsi usurpant. At si diversam significationem cum voce conjungere cupit, ostendat quò sensu accipiat, accuratèque vocabula definiat.

94. Quae porrò sit vocabulorum
usi-

nsitata significatio à vulgi consuetudine haud est sumendum; etenim hic potissimum non nisi vagas, ac indeterminatas ideas oculis subjicit, neque in earum sensu retinendo constans esse solet. Quamobrè illi multo maximè consulendi sunt, qui studio, et labore perfectiores de rebus ideas sibi compararunt, et in quorum scriptis, ac sermonibus accuratior vocum usus unanimi Doctiorum consensu splendet.

VI.

95. Vocabulis etiam abutuntur, qui partium studio, vel anticipata opinione moventur; qui vulgò avertunt imponere; qui difficultatum pondere haerent, idearumque defectu impediuntur: tunc enim verò in obscuritatem affectant, verbis inanibus sese implicant, nova quoque fundunt, atque sexquipedalia. Optimum ergo erit mentem parumpèr à verbis remove, eamque in ideas intendere, ne illorum sonitu alucinemur.

96 Postremò abs re haud erit animad-
 vertere vocabula easdem ferè habe-
 re proprietates, ac ideas, quarum
 sunt signa. Quarè quemadmodùm
 ideae simplices clarae dicuntur,
 compositae verò, vel obscurae, vel
 saltèm confusae; ita verba ideas
 simplices exhibentia clara sunt: quae
 autem compositas repraesentant,
 tùm obscura, tùm confusa, eva-
 duat. Ex quo fit, ut idearum sim-
 plicium vocabula definitione non
 egeant; sin compositarum, quatenùs
 perclariora verba exponi possunt.

97. E. g. si quis ex me quaerat,
 quid sit dolor; clarioribus vocalis
 doloris ideam exprimere non po-
 tero. Si tamen quaerat, quid sit
 aurum, quae vox composita dicitur,
 certè potero ex ideis coloris, soli-
 ditatis, gravitatis, ductilitatis, ma-
 lleabilitatis, solubilitatis in aqua re-
 gia ideam auri clariorem praeberè
 idemque de aliis quamplurimis i-
 deis, praesertim moralibus statuen-
 dum est; quales sunt e. g. honor,

nobilitas, gratitudo, honestas, et hujusmodi alia, quae multò pluribus sunt meri soni; objectum enim non referunt, quod sensus moveat, nec illud quod referunt in infantia, percipimus: hinc ea absque ulla significatione usurpandi longam jam contraximus consuetudinem, à qua, ut recedamus, reflexione vehementius nitendum est.

De definitione.

CAPUT VII.

98 **D**Efinitio dicitur oratio, quae expenditur id quod obscurum est in re, vel in nomine: hinc duplex est definitionum genus: unum, quo res, alterum, quo nomina explicantur.

Nominis definitio ea est, quae ipsius vim, et significationem clariùs exponit, ut cum dicimus: horologium est fabricatio, quae stilo horas dici indicat: Deus est ens infinitè perfectum; Logica facultas, quae

quae mentem in cognoscenda veritate dirigit. Quare hoc praesertim requirunt voces ambiguae, et theticae tyronibus, et imperitis in arte ignotae: atque verborum significatione accuratè stabilita fuitiles, aeternaeque quaestiones de nomine vitantur, nec in obscuritatem, et confusionem, quae ex vocum ambiguitate haud parva esse solet, incidimus.

99. Alia autem est definitio rei; et ea dicitur, quae explicat, quid ipsa res sit, ita ut ab alia quacumque distinguatur. Haec duplex est essentialis, et descriptiva: essentialis ea nuncupatur, in qua notae rei essentialis recensentur: ut homo est animal ratione praeditum. Descriptiva verò dicitur, in qua modi, et relationes adducuntur, qualis est hominis apud Tullium: animal providum, multiplex, sagax, acutum, memor, plenum rationis, et consilii.

100. Porro omnes illae definitiones, quae rem explicant per modo-

dorum, atque relationum possibilitates, potius nominari debent essentialia, quàm descriptivae; ejusmodi enim possibilitates attributa inter essentialia recensendae sunt, ut est ista definitio: homo est animal verae eruditionis capax.

101. Praeterea ideas generum, et specierum definimus, cum in illis essentialia, et attributa facile distinguamus; contra verò, cum istud in rerum singularium ideis praestare non possimus, eas tantum describimus. Sic Physici plantas, lapides, aliaque corpora naturalia; Historici provincias, urbes, factaque particularia; Poetae hortos, palatia, cetera longa singularum partium, et proprietatum enumeratione depingunt. Judices quoque in litteris accusatoriis, quibus reum fugitivum insequuntur, ejusmodi descriptiones adhibent, dum externum ejus habitum, magnitudinem, faciei conformationem, caeteraque omnia, per quae discerni valent, enumerant.

102. Cavere autem debent Logices tyrones, nè, dum nomina definiunt, putent rem ipsam definire; quare in hanc regulam plurimi saepissimè peccant: cum enim certa vocabula pro lubitu suo definiant, sibi persuadent se naturam rerum significatarum penitus cognoscere, et finire. En exemplum: si ab illis quaeras, quid sit *arbor*, ajunt esse vivens insensitivum: quid sit fulmen: reponunt esse exhalationem in nube accensam deorsum tendentem. Verùm hae omnes explicationes solùm ostendunt, quae res hisce nominibus indigentur; at rerum naturas minimè pandunt, nisi prius distinctè percipiatur, quid sit vivens, insensitivum, exhalatio, nubes, accensio cet., quod rarò, aut nunquam assequuntur.

103. Si tamen nominis definitio accurata omninò sit, ita ut rem ipsam nomine significatam ab alia quacumque discernat; quod quidem in suis nominum definitionibus di-

igentèr observant quam plurimi Geometrae, nihil interest ejusmodi definitiones, vel rei, vel nominis nuncupari. Ex hùcusque dictis facile intelliguntur legitimae definitionis leges, quae quinque sunt praecipuae.

I.

104. Sit clarior re definita: alitèr enim nec eam exponere, nec à reliquis discernere poterit; ut si dicas: Logica est scientia, quae tradit regulas Logicas: vel idea clara est illa, quae nobis aliquid clarè repraesentat. Ejusmodi definitiones, aliaeque ejusdem generis obscurae sunt, nec per eas optimae definitionis finis obtinebitur.

II.

105. Sit brevis, hoc est, definitio, nec terminis latioris, neque angustioris significationis constare debet, quàm definitum: utroque enim casu non secernet rem definitam ab aliis.
E. g. malè definitur equus hoc modo

do: ens quod ambulat; latiùs enim patet definitio: item malè definitur homo tali modo: animal eruditum, quia excluduntur alii homines non eruditi.

III.

106. Sit reciproca cum definito hoc est: debent sibi mutuo substitui posse, quin sensus mutetur, aut veritas laedatur, adeo ut definitum de definitione verissimè affirmari possit, et vice versa; ut homo est animal rationale: animal rationale est homo.

IV.

107. Definitio non sit negativa; hoc enim modo non ostenderetur idea, quae termino responderet; sed indicaretur solùm, quae idea termino illi haud subjecta sit: ex quo quidem liqueret, quid res definita non sit, minimè verò, quid sit, quod tamen per definitionem assequi capimus: ut si aliquis dicat: Logica non est scientia, quae tradit regulas honesti; templum non est locus
aptus

ptus convivio; homo non est equus, et alia hujusmodi. Verùm tamen, quia non semper est in nostra potestate definitio affirmativa; praesertim cum de rebus per se obscuris, vel supra humanae mentis captum positis agimus, tunc admitti potest negativa. Quarè haud ineptè dicitur: ens simplex est, quod non habet partes: possibile, quod in notis essentialibus contradictionem non involvit.

V.

108. Definitio constet genere, proximo, et ultima differentia, ex quibus res ipsae definitae tanquam partibus componuntur. Accipitur porrò genus proximum, quia altiora genera notas sufficientes, quarum proindè defectu latior evaderet definitio, non continent, ut si dicas: homo est vivens rationale; quod omni spiritui competit. Sumitur etiam ultima differentia, quia per eam Philosophi denotare volunt, definitum differre debere ab omni alia re sub hoc

hoc genere proximo contenta, ut si dicatur: homo est animal ratione praeditum; per ejusmodi enim definitionem discernitur homo ab omni eo, quod sub genere proximo *animal* continetur; non verò per istam: homo est animal quoddam.

109. Attamen tanti facienda non est haec lex, ut ea neglecta conditi haud possit optima definitio. E. g. si quis dicat, hominem esse substantiam vita, sensu, motu spontaneo, ratione, ac libertate praeditam, accuratam efficit hominis definitionem; nec alia opus est, ut ejus natura rectè, et perspicuè intelligatur.

110. Quapropter advertendum est rei definitionem, quaecumque sit, ex diligenti, subtiliorique investigatione, et analysi oriri, atque unicè ab eo, qui rerum claram, ac distinctam notionem nactus fuerit, fieri posse, ut res definiantur: aliter enim hujusmodi definitiones, si de re ignota inventiendi agatur, disputationis

nis principio ponere impossibile est; ineptum verò, et perniciosum, cum res nota edocetur; siquidè qui instituuntur, disputatione expleta, qualis res sit, percipere debent; ac proindè praemissam definitionem rei indolem, atque naturam expendentem, vel perversè, vel nullo modo assequerentur.

III. Hinc rectè percipitur quomodo sit intelligendum, quod cuncti praecipunt, oportere scilicet, ut omnis disputatio à definitione profiscatur. Rectè, inquam, praecipunt, cum nisi capiatur, atque convenierit, quid sit id, de quo quaeritur, erraret, et divagaretur oratio: pro hoc autem satis est nominis definitio, à qua non à definitione rei necesse erit ordiri, quod tyronibus notum sit oportet.

e

De divisione.

CAPUT VIII.

112 **D**ivisio est totius in partes dis-

distributio. Id quod distribuitur, aut secatur, dicitur divisum: partes in quas dividitur, membra dividendi.

113. Alia est divisio physica, ut cum lignum in partes dividimus; alia autem Logica; ut cum mente Logicam in naturalem, et artificialem: ideam in claram, et obscuram: substantiam in corpus, et spiritum; ideam universalem in genericam, specificam, et differentialem partimur. Hae partes nuncupantur inferiora.

114. Porro divisionis utilitas major est, quam à plurimis existimetur: nunquam enim res ipsa melius dignoscitur, quam si singulae ejusdem partes successiva meditatione illustrentur. Ex quo fit, ut mens nostra clarè ac distinctè in singulis partibus pervideat, quod in objecto integro propter nimiam ejus compositionem obscurè solùm, vel confusè cernere posset. Nam ut rectè cogitemus, aut loquamur, frequentissima utendum est divisione: sermo-

mones enim nostri plerumquè sunt de objectis admodùm complexis, vel compositis, quae multis ex partibus considerari debent, nè de illis comparatè ad unam partem cum veritate affirmetur, quod frequentè falsum est comparatè ad aliam.

115. Res, vel totum, quod multis convenit quadrupliciter in suas partes subjectivas, aut inferiores distribui potest.

116. (1.º Quando genus in suas partes, vel species dividitur. E.g. animal in hominem, et brutum; substantia in spiritum, et corpus.

117. (2.º Quando genus in suas differentias secatur, ut dùm dicitur: omne animal est rationale, vel irrationale: omnis numerus dicitur par, vel impar.

118. (3.º Quando res communis in omnes modos, quorum est capax, partitur, ut cum dicitur: omne corpus, aut movetur, aut quiescit; vel juxta diversa subjecta, ut omnes Hispani sunt nobiles, aut plebei.

119. (4.º Quando accidens commune in diversa subjecta dividitur, e. g. bona partiuntur in bona spiritus, et corporis.

Legitimae divisionis legis.

I.

120 **D**ivisio habeat brevitatem; quae prohibet, nè ad minimas partes descendatur, quemadmodum enim maxima difficultè comprehenduntur, ita et minima: siquidem nimia partium enumeratio adeo repentè mentem obruit, ut claritatis loco, quae unicè per divisionem quaeritur, per magna obscuritas, et confusio suboritur.

II.

121. Habeat absolutionem, quae in eo consistit, ut membra dividenda simul sumpta exaequent divisum, atque cum eo reciprocentur. Vitiosè igitur homines dividimus, in musicos, et poetas reperiuntur enim qui ad neutram classem referri possunt;
vel

vel objectorum notas in essentialia, et attributa, quia omittuntur modi, et relationes.

III.

122. Nullum membrum contineat aliud, neque de eo affirmetur: aliàs bis enumeraretur. Hinc ens malè dividitur in simplex, compositum, et cogitans; cogitans enim in simplici jam includitur: rectè autem in simplex, et compositum, nullum tertium. Item mala est divisio globi terrestris in Europam, Germaniam, Asiam, Africam, et Americam; Europa quippè includit Germaniam.

IV.

123. Divisio fiat in membra opposita: ut numeri divisio in impari, et pari; propositionis in veram, et falsam, cet.

124. Singulae totius divisi partes eodem modo subdividuntur, quo totum divisum, quamlibet partem, ut quoddam totum considerando: sic idea clara rursùm in distinctam,

et

et confusam dividitur; distincta etiam in completam, et incompletam, item universalis idea in genericam, specificam, et differentialem.

PARS SECUNDA LOGICES

De natura iudicii, et propositionis.

CAPUT I.

125. **Q**uod si duas ideas menti exhibitas inter se conferimus, quandamque inter eas convenientiam, aut pugnam detegimus, persaepe contingit, ut huic convenientiae, vel pugnae mente annuamus, ac convenientes quidem ideas per affirmationem in ipso annutu consistentem jungamus, et discrepantes per negationem separemus: hoc vocatur iudicare. Itaque iudicium est perceptio convenientiae, vel pugnae, quae duas inter ideas reperitur. Haec autem convenientia dicitur unius ideae in alia complexa inclusio: repugnantia verò

ex-

exclusio unius ideae ab alia complexa. Sic judicamus cogitando: idea bobis major est idea canis, vel bos non est canis, et ita de reliquis ideis, quarum convenientiam, aut pugnam reverà dari, mens quasi decidit.

126. Hinc quolibet iudicium, vel est affirmativum, vel negativum. Item iudicium à simplici repraesentatione, aut idea distinguitur: haec enim nihil affirmat, aut negat.

127. Porro iudiciis omnes nostras cognitiones contineri nemo est, qui ambigat. Quod si convenientiam, vel pugnam idearum mens illicò intuetur, iudicium nuncupatur intuitivum, qualia sunt haec: sol splendet; totum est major sua parte: discursivum verò dicitur, si ex multiplici idearum comparatione earum connexionem, vel separationem deducat, quale est istud anima humana non est corruptibilis: elicitur enim ex isto: spiritus non est corruptibilis, et ex hoc alio; anima est spiritus, ut consideranti patebit.

*DE PROPOSITIONIBUS,
variisque ejusdem speciebus.*

128. **Q**uemadmodum vocabulis ideas exprimimus, ita propositionibus judicia complectimur: hanc propositio dicitur oratio, qua iudicium mente conceptum aliis significamus, ut dum dicimus: anima humana est spiritus.

129. Porro in propositione tria distinguendi debent, subjectum nempe, praedicatum, seu attributum, et tandem copula. Subjectum est res, de qua aliquid affirmatur, vel negatur: attributum rem affirmatam, vel negatam declarat; copula subjectum cum praedicto conjungit, aut, si ei annectatur particula negans, utrumque separat. E. g. in ista propositione: virtus est appetenda, virtus dicitur subjectum, appetenda praedicatum, et verbum *est*, copula. Quare haec omnia non semper exprimuntur, sed aliquando unus, aut alter terminus in alio includitur; ut

E

cum

cum dicitur: cogito, id est: ego sum cogitans; vel Petrus amat, id est; Petrus est amans.

De propositione simplici, et composita.

130. **P**ropositio simplex ea dicitur, quae ex unico subiecto, et praedicato formatur: ut anima humana est spiritualis. Composita verò appellatur, quae ex uno subiecto, pluribusque praedicatis, vel ex uno praedicato, pluribusque subiectis, aut ex pluribus praedicatis, pluribusque subiectis simul coalescit; ut Deus est sapientissimus, et liberrimus: Reges, et subditi moriuntur: Petrus, et Paulus sunt docti, et probi.

131. Propositio simplex, vel ostendit simul modum, quo praedicatum convenit, aut subiecto repugnat, vel non; in primo casu modalis audit; in altero pura nuncupatur. Quamobrè modi, quibus praedicatum subiecto convenire, aut repug-

pugnare potest, sunt hi quatuor: *necesse, contingentèr, possibile, et impossibile*: hinc propositiones modales erunt hae, aut similes: *circulus necessariò est rotundus: mundus contingentèr existit: possibile est, ut alter mundus existat: impossibile est, ut homo sit equus.* Propositiones autem purae erunt hae: *mundus existit: homo est animal rationale, cet.*

132. Praeterea propositio composita, quatenus ad nostrum usum pertinet, sextuplex est, scilicet *conditionalis, causalis, copulativa, disjunctiva, discreta, et relativa.*

133. Propositio *conditionalis, vel hypothetica* ea est, in qua praedicatum de subjecto sub quadam conditione per particulas *si, modò, dummodò, cet.* expressa affirmatur, vel negatur; ut cum dicitur: *si Petrus literis sedulò vacaverit, eruditus evadet; vel si anima humana est ens simplex, ea est incorruptibilis.*

134. In omni propositione *condi-*
tione

tionali duae reperiuntur partes per particulas supradictas conjunctae, quarum prima conditio, vel antecedens: altera conditionatum, vel consequens nuncupatur. Hinc si ipsa conditio in se contineat rationem, cur in conditionato praedicatum subjecto conveniat, vel repugnet, propositio conditionalis erit vera; secus autem falsa: sic cur incorruptibilitas competat animae humanae, ratio est, quia ipsa dicitur ens simplex.

135. Propositio causalis ea dicitur, in qua ratio cur praedicatum subjecto conveniat, vel repugnet, per particulas causales *quia, enim, etenim, &c.* exprimitur; ut anima humana est incorruptibilis, quia caret partibus; Petrus est eruditus, quia egregiam operam litteris impendit.

136. Porro propositio causalis appellatur falsa, si vel alterutra pars, vel ipsa ratio allata falsa sit; ut anima humana est substantia, quia est corpus; attamen ut vera sit, requiritur primum, ut utraque pars

sit

sit vera, deindè etiam ratio, per particulam *quia* prolata, debet esse vera, atque legitima, cur in altera parte praedicatum subjecto conveniat; ut anima humana dicitur incorruptibilis, quia est ens simplex.

137. Propositio copulativa ea est, in qua plura subjecta, vel praedicata, aut propositiones per particulas, copulantes, *et*, *atque*, *ac*, *neque*, etc., jam affirmativas, jam negativas conjunguntur. E. g. mens, ratio, et consilium est in senibus, id est, mens est in senibus, et ratio est in senibus, et consilium est in senibus; vel nec intellectus, nec voluntas est attributum animae bellinae. Quare propositio copulativa dicitur falsa, si vel unum illius membrum falsum sit, ut anima humana est spiritualis, et mortalis; vel pietas, castimonia, et otium, laudes, ac premia merentur.

138. Disjunctiva est, in qua duae propositiones hisce particulis, *aut*, *vel*, *sive*, *seu* conjunguntur. E. g.,
aut

aut edisces Logicam, aut feriam te
 fustibus: notae objectorum, vel sunt
 constantes, vel mutabiles. Praeterea
 ad veritatem propositionis disjuncti-
 vae tantum requiritur, ut una dis-
 junctionis pars vera dicatur; sic vera
 est haec: vel anima perit cum cor-
 pore, vel post mortem corporis est
 superstes; falsa autem haec: vel
 animus perit cum corpore, vel post
 mortem corporis est beatus; nam
 potest etiam perpetuo infelix esse.

139. Discreta ea dicitur, in qua
 propositiones simplices per particu-
 las adversantes, *sed*, *tamen*, cet.
 colligantur; ut si dicatur: veritas
 fatigari potest, non tamen vici;
 vides tu quidem, sed non comedis
 de ea: in hisce propositionibus cla-
 ra est adversatio; occulta vero in
 hac: video meliora, proboque, de-
 teriora sequor, quae ita exponitur:
 video meliora, sed sequor deteriora,

140. Hic advertendum est ad cau-
 sales posse reduci propositiones re-
 duplicativas, in quibus subjectum

per

per particulas *quà*, *proùt*, *quatenùs* cet. duplicatur; ut cum dicitur: homo *quà* homo obnoxius est multis miseriis; quod idem est ac dicere, homo quia est homo, cet.

141. Relativa deniquè est, cujus partes mutuam relationem habent indicatam hisce particulis *ubi*, *antè*, *ibi*, *priùs*, cet. E. g. ubi est thesaurus tuus, ibi et cor; vel ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sunt in medio eorum.

142. At hucusque de propositionibus, quae explicitè compositae in Scholis nuncupantur. Quaedam tamen reperiuntur propositiones, quarum compositio non illicò apparet; sed posteaquàm quid significant exponimus, fit manifesta, et ideo vocantur exponibiles. En exempla.

143. Propositio exclusiva dicitur, in qua praedicatum de solo subjecto affirmatur, vel negatur per particulas *tantummodò*, *solum*, *dumtaxat*, *unicè*, cet., ut dùm dicimus: solus Deus immortalis est adorandus; quae
qui-

quidè̄m ita exponitur: Deus est adorandus; nec alius nisi immortalis adorandus est. Ad hanc clasem revocatur etiam exceptiva: ut homo est rationalis excepto corpore, quae ab excludente sensu haud differt, sed alio modo idem enuntiat, ut patet in ista propositione: cuncta terrarum subacta praeter atrocem animum Catonis; quae huic aequivalet: solùm atrox Catonis animus subactus non est.

144. Comparativa ea dicitur, in qua praedicatum subjecto tribuitur cum relatione ad aliud; quae relatio vel nominibus comparativis, vel particulis *quàm*, *quantò*, *magis*, *tantò*, cet. exprimitur. E. g. Achilles fuit fortior quàm Hector, id est: Hector fuit fortis, at non aequè fortis ac Achilles: Lucanus est inferior in Poesi Virgilio, id est: Lucanus est bonus Poeta, at non aequè bonus ac Virgilius.

145. Cavendum tamen est, nè putemus positivum ejusdem comparativi

tivi gradum, quod in propositione adhibetur, utrique comparationis membro semper convenire. E.g. melior est honesta paupertas malè partis divitiis. Haec propositio non ita exponi potest: divitiae malè partae bonae sunt, melior tamen est honesta paupertas; sed hoc pacto: honesta paupertas non est vituperanda; verùm malè partae divitiae vituperandae sunt.

146. Inceptiva est in qua praedicatum ita subjecto convenit ut antea convenire illi non possit, ut dùm dicitur: lingua latina à Tiberii Principatu corrumpi coepit. Haec duas amplectitur propositiones: lingua latina ante Tiberii Principatum erat pura, sed ejus aevo corrumpi coepit.

147. Propositio desitiva ea est in qua aliquid disinere dicitur: ut lingua latina desiit esse pura ab eo tempore, quo innumeri peregrini civitate donati sunt. Reverà tamen propositio desitiva nuncupatur etiam inceptiva, respiciendo ad diversa, ut consideranti patebit.

148. Continuativa ea dicitur in qua praedicatum non solum ante, sed etiam in praesentiarum subjecto convenit; ut si quis dicat: sub Augusti Principatu pura remansit lingua latina, in qua propositione tria includuntur judicia. 1. Ante Augustum fuisse puram linguam latinam. 2. Sub Augusto puram remansisse. 3. Post Augustum puritatem amisisse.

De propositionibus incidentibus.

149. **I**ncidens propositio ea est, quae subjecti, vel attributi alterius propositionis, quae principalis appellatur, partem efficit; enunciat enim, quod praecipue significari vult. E. g. ille, qui procum est negotiis, beatus est. Cicero amicissimus fuit Lucretio, qui erat elegantissimus Poetarum. Hae propositiones, qui procum est negotiis, et qui erat elegantissimus, incidentes nuncupantur, eo quod ad alias propositiones, quae vocantur principales, referantur.

150. Porrò propositio incidens duplex est, explicativa, et determinativa. Explicativa dicitur, quae termini significatum, quin ejus ideam mutet, nec limitet, evolvit. E. g. Alexander magnus, qui fuit filius Philippi, vicit Darium. Haec incidens: qui fuit filius Philippi, si tollatur, integra tamen remanet principalis propositio quoad ejus sensum, et veritatem. Determinativa autem ea est, quae termini significationem limitat, vel mutat; ut dùm dicitur: nemo sui compos irascitur; additio enim sui compos minùs patet subjecto *nemo*, quod propterea ab ea restringitur; adeoque principalis: nemo irascitur, additione illa sublata, servat quidem primum sensum, sed veritatem deperdit, quae tota subjecti limitationi innixa est: idemque dicendum est de illa: beatus ille qui procùl negotiis; hae enim incidentes, et aliae ejusdem generis dicuntur determinativae.

151. Quare saepè ex orationis context-

textu, atque ex loquentis mente conjectandum est, utrùm nè incidens explicativa sit, an determinativa. En exemplum: Pythagoras Samius transmigrationem docuit: si sermo habeatur de Philosophis, qui Pythagorae nomine insigniti sunt, additio *Samius* est determinativa; imò verò si sermo sit de istorum Philosophorum patria, in additione *Samius* latet principalis propositio, ut sensus explicatus sit. Pythagoras qui transmigrationem docuit, is Samius fuit: verùm si disseratur de Philosophis principibus vulgò notis, additio *Samius* verè explicativa est.

152. Praeterea modus incidens interdum copulam afficit, ut cum verbi significatio aliquo adverbio augetur, aut minuitur. E.g. Te vehementer amo; vel Lucretia tam ardentè castitatem deperit, ut praeter illa caetera ipsi bona sorderent.

77

DE PROPOSITIONIBUS
*universalibus, particularibus, et
singularibus.*

CAPUT II.

153. **P**ropositio universalis est
cujus subjectum dicitur terminus
communis secundum totam suam ex-
tensionem usurpatus, ita ut praedi-
catum singulis individuis sub illo
subjecto contentis, etiam seorsim
sumptis, conveniat, quod quidem
per particulas *omnis, nullus, nemo*
subjecto praefixas indicatur, quae
propterea notae universalitatis au-
diunt: ut *omnis virtus est appeten-
da; vel nullum vitium est honestum.*

154. Porro hujusmodi propositio-
nes nuncupantur completae univer-
sales, ut distinguantur ab illis, in
quibus praedicatum non singulis in-
dividuis, sed tantum singulis specie-
bus sub subjecto comprehensis con-
venit, quaeque propterea sunt in-
completae universales, quales sunt
istae

istae: omne animal fuit in arca Noe: Deus animantia omnia in rerum principio creavit; quod non de singulis omnium formarum animantibus, sed de uno alterovè singularum specierum dicitur.

155. Reperiuntur etiam aliae propositiones, quae appellantur universales moralitèr, quarum praedicatum non ita strictè singulis omninò individuis subjecti tribuitur, ut nullum indè excipi possit; ut cum dicimus: omnes homines sua solùm commoda quaerunt; vel omnis homo suam voluptatem persequitur.

156. Propositio particularis ea dicitur, in qua subjectum, cum sit universale, sumitur secundum partem tantùm suae extensionis, adeo ut praedicatum non omnibus, sed aliquibus dumtaxat individuis seorsim acceptis conveniat; quod certè indicatur per particulas *aliquis, quidem, nonnullus*, quae particularitatis signa vulgò nuncupantur: ut *aliquae gemmae auro pretiosiores sunt; vel aliquis homo est eruditus.*

157. Quarè propositiones particulares aliae dicuntur determinatae, aliae verò indeterminatae. Propositio particularis determinata ea est, in qua subjecti individua, quibus praedicatum convenire statuitur, in se jam determinata sunt. E. g. Aliquis huic aedificio ignem supposuit: aliqui Philosophi negant immortalitatem animae humanae. Indeterminata autem dicitur, in qua individua manent indeterminata. En exempla: aliquis calamus requiritur ad scribendum; aliqua navis est necessaria ad navigandum.

158. Singularis propositio ea est, cujus subjectum dicitur terminus singularis, aut signo singularitatis *hic*, *iste*, *ille* affectus, ut Plato fuit Socratis discipulus; vel *hic* liber utilia continet.

159. Dantur etiam quaedam propositiones universalium speciem praeserentes, quae tamen inter singulares numerandae sunt: nimirum quando vocula *omnis* sumitur
collec-

collectivè, ita ut tota omnium collectio unius instar individui usurpari debeat; ut cum dicitur; omnes litterae componunt alphabetum; omnes Apostoli sunt duodecim; vel omnes cives à Romulo censi fuere octoginta millia; quod quidem non de singulis, sed de tota litterarum, Apostolorum, et civium collectione dicitur. Quid multis? sese dialectici expediunt, dicentes vocem *omnis*, quandoque sumi collectivè, ut in adductis exemplis, quandoque distributivè, seu pro singulis individuis in universitate comprehensis, ut omnes boni, dùm exulavit Cicero, moerore confecti sunt.

DE PROPOSITIONIS

qualitate, et quantitate.

160. **H**IC etiam propopositio-
num maximè conside-
randa est qualitas, et quantitas;
haec in universalitate, vel particu-
laritate, vel singularitate collocan-
da

da est: illa verò in affirmatione, et negatione, quae Logice vocatur quoque propositionis forma.

161. De hac ergo quaedam utiliora observare satis sit: nimirum in propositionibus negativis praedicatum universaliter sumi, et in tota sua latitudine, quamvis subjectum sit particulare; in affirmativis verò usurpari in eadem amplitudine, qua subjectum ita ut universale sit, quantum est subjectum ipsum; vel particulare si subjectum fuerit particulare. E. g. in hac propositione negante: aliquid pactum non est injustum: praedicatum hoc ad omnem omnino injustitiam protendi debet; in alia verò affirmante: omnes homines sunt viventes, praedicatum istud eam extensionem non adipiscitur, ut omnia viventia significet, sed aliqua tantum. Quare tenenda est haec regula: in omni affirmatione praedicatum particulariter; in omni negatione universaliter sumi debet.

162. Hic adduntur etiam propositiones indefinitae, quarum subiecto nulla praefigitur particularitatis, nec universalitatis, nec singularitatis nota; ut sunt istae: homines sunt creati; homines sunt eruditi.

163. Porro propositiones indefinitae ad definitas, et quidem ad universales reducuntur, quando praedicatum necessariò convenit subiecto, ut haec: virtus est appetenda, aequiparatur universali: omnis virtus est appetenda; ad particulares verò referuntur, quando praedicatum subiecto mutabiliter convenit, tu ista; homines sunt eruditi, pro particulari habetur; aliqui homines sunt eruditi. Fieri tamen potest, ut propositio indefinita licet contingens aliquando universali aequivaleat; ut sitae propositiones: juvenes sunt inconstantes: senes sunt queruli, et aliae hujusmodi, quae etsi plerumque particulares siunt, si tamen consuetudo, et hominum mos attendatur, pro universalibus moraliter haberi debent.

164. Item propositio singularis ad universalem revocari potest, quatenus illius subjectum in omni sua accipitur extensione, quamvis rem omnino determinatam enunciet, quod quidem exemplo facile percipitur: Auctor Pentateuchi est legislator iudeorum, quae propositio ita exponi potest: quicumque est auctor Pentateuchi, ille est etiam legislator iudeorum, et sic de aliis.

De propositionibus inter se oppositis.

165. **P**ropositionum oppositio ex earum quantitate, et qualitate oritur. Praesertim autem examinanda est opposita contradictoria, et contraria. Oppositio contradictoria est pugna duarum propositionum idem subjectum, et praedicatum habentium, quarum altera sit universalis, altera particularis. E. g. omne animal est corporeum: aliquod animal non est corporeum: nullum animal est corporeum: aliquod animal est corporeum.

166. Itaque ad contradictorias referuntur etiam, quae de eodem subiecto singulari idem alia affirmat, alia negat, ut Petrus vivit: Petrus non vivit; vel Seneca est sapiens: Seneca non est sapiens.

167. Sunt vero propositiones contrariae, quarum idem est subiectum, et praedicatum, quaeque sunt ambae universales, altera ajens, altera negans; ut nullum vitium est fugiendum: omne vitium est fugiendum.

168. Dantur etiam propositiones subcontrariae, quae conveniunt in quantitate, differuntque in qualitate; ut aliquod animal est corporeum: aliquod animal non est corporeum; vel aliquod vitium est fugiendum; aliquod vitium non est fugiendum.

169. Revera propositiones contradictoriae non possunt esse ambae verae, nec ambae falsae, sed una necessario dicenda est vera, altera falsa; repugnat enim idem simul esse, et non esse. Item de contra-

riis statuendum est, quod nequeunt esse ambae verae, nisi verum quoque sit aliquid esse, et non esse; possunt autem esse ambae falsae, ut patet hisce in exemplis: omne animal mugit: nullum animal mugit; vel nullum animal bubulat: omne animal bubulat.

170. Quare quemadmodum propositiones contrariae possunt esse ambae falsae, ita subcontrariae ambae verae; ut in hoc exemplo; aliquid animal mugit: aliquid animal non mugit.

171. Sed demittamus nunc innumeras alias propositionum divisiones, et subtilitates ex illarum forma, materia, qualitate, et quantitate desumptas, quas multi olim insectabantur, conversionem nempe, aequipollentiam, alternationem, subalternationem cet., quaeque in veritatis agnitione nullius ferè usus tyronibus sunt, eorumque animum solum ad futile quoddam disputationis genus instituunt. Quis enim, si dicas: non

ali-

aliquod animal non est corporeum, putabit te dicere: omne animal esse corporeum, aliaque sexcenta ejusdem generis? ; an non potius nugari te, aut delirare arbitrabitur?

DE QUIBUSDAM PROPOSITIONIBUS in methodo scientiarum usitatis.

172. **P**ropositio, quae aliquid de subjecto simpliciter affirmat, vel negat, dicitur theoretica, ut homo est eruditionis capax; vel Deus est sapientissimus. Quae verò aliquid posse, vel debere fieri enunciat, practica audit; ut qui beatam immortalitatem assequi cupit, is bona opera perpetuò faciat; vel Deus ab homine amandus est.

173. Hinc propositio theoretica, quae ex terminorum intelligentia absque ulla probatione vera esse cognoscitur, nuncupatur axioma: ut quod cogitat existit, vel impossibile est idem simul esse, et non esse.

174. Ad hanc classem refertur propositio, quae ex aliqua definitione perspicuè, et proximè deducitur, adeo ut ejus veritas sine ulla probatione recipiatur. E. g. si ex hac definitione: homo est animal intelligens, et liberum, colliguntur hae propositiones: homo est praeditus voluntate: homo est liber: homo est intelligentia praeditus; haec cognominantur axiomata, quia se ipsis nota sunt. Item propositiones identicae, scilicet quae idem subjectum, et praedicatum sortiuntur, dicuntur axiomata; ut istae: homines sunt homines: animal est animal; vel hoc est hoc. Verumtamen ejusmodi propositiones identicae nullius ferè sunt utilitatis, ideoque tanquam fuitiles, et nugatoriae rejiciendae.

175. Propositio practica, quae ex solis terminis fit manifesta, dicitur postulatum: ut excole mentem, nisi cum necessitate pugnare.

176. Propositio theoretica, quae ex pluribus definitionibus, et axiomata-

matibus per ratiocinationem elicitor, nuncupatur theorema; cujusmodi sunt conclusiones demonstrationum perfectarum.

177. Dantur etiam aliae propositiones, quae vocantur problema, corollaria, scholia, lemma, quarum nomina locum habent potissimum penès Mathematicos; ideoque ab eis expendendis abstinemus.

*DE PROPOSITIONUM
veritate, et falsitate.*

178. **V**eritas apud Logicos dicitur congruentia nostrae cogitationis cum suo objecto; falsitas verò disconvenientia nostrae cogitationis cum suo objecto. Hinc vocatur vera propositio, quando est conveniens rei, ut reverà est; ut cum dico: Petrus est animal: Paulus est liber; falsa autem nominatur propositio, si enunciatur, quod se non ita se habet: ut Petrus est equus; vel Paulus non est liber,

179. Quia tamen non semper primum est tyronibus de cujuslibet propositionis veritate, vel falsitate iudicium ferre, nè in hoc decipiantur, quasdam leges trademus. 1. omnis propositio erit vera, si universaliter existit, quod universaliter affirmatur. 2. Si particulariter, vel in casu singulari existit, quod particulariter, vel in casu singulari affirmatur. 3. Si absolute existit, quod absolute enunciat. 4. Si sub data conditione existit, quod sub eadem affirmatur, et vice versa in propositionibus negativis. 5. Si universaliter esse nequit, quod universaliter negatur. Similiter erit falsa propositio 1. si universaliter non existit, quod universaliter affirmatur, et ita deinceps perpendendo omnes alios casus, ut supra.

DE CERTITUDINE,

evidentia, et probabilitate.

180. **P**orro certitudo considerari potest, vel ut est in rebus, quae

quae certae in se sunt; vel ut est in mente, quae rem certè agnoscit. Primo modo assumpta dicitur constantia, et rerum immutabilitas; secundo modo est status mentis, quae absque omni sollicitudine, vel formidine de opposito veritati assentitur.

181. Praetereà certitudo triplex est; metaphysica, physica, et moralis. Metaphysica ea est, quae ex rerum natura oritur, et est absolute immutabilis, adeo ut ejus oppositum sit omnino impossibile; ut in hisce propositionibus: circulus est rotundus; vel homo est animal rationale. Certitudo physica naturae legibus, et universi ordini innititur; atque aliquid in ea hypothesis certum dicitur, quod eaedem leges, idemque ordo maneant: ut corpus non suffultum cadit; vel nox est adventura. Certitudo tandem moralis dicitur, quae humanae prudentiae legibus fundatur: ut Caesar Gallos devicit: Roma existit.

182. Quare diversa haec certitudi-

dinis genera omninò inter se discrepantur: certitudo enim metaphysica tam in rebus, quàm in mente considerata Physicam, et Moralem superat, quatenùs illa absoluta, et immutabilis prorsùs est; hae verò hypotheticae, et contingentes: quod autem hoc secundo modo certum est, non esse haud pugnat; minorem ergo certitudinem obtinet, quam illud quod intelligimus absolutè esse non posse.

183. Hinc certitudo, quae est in rebus, nisi cognoscatur, nihil prodest: cum igitur ejus accedit cognitio, nascitur in nobis certitudo, quae ad mentem refertur, quaeque vero sensu dicitur certitudo: repertiuntur enim quamplurimae propositiones in se ipsis certae, quin tales saepè apud nos existimentur; sic propositio illa: dantur antipodes, licet in se ipsa certa, respectu tamen antiquorum fuit falsa.

184. **I**tem evidentia, vel est in rebus, quatenus simplici mentis intuitu cognosci possunt; vel in mente, quando aliquid evidentè intelligit. Undè evidentia propriè accepta est veluti lumen, quod menti affulget, quodque ei veritatem ita clarè proponit, ut eidem nequeat ullo modo assensum denegare. Ex quo fit, ut evidentiae tribui debeat, quod sit certitudinis veritatis Philosophicae fundamentum, atque ultima ratio, quam praebere possumus ex nobis quaerenti, undè faustam veritatis evictionem rationi respondentis, elicimus.

185. Itaque ad evidentiam aliquando immediatè, aliquando mediatè devenimus. Tunc habetur evidentia immediata, quando ex sola comparatione, simplicisque veluti intuitu cognoscimus praedicati ideam contineri in idea subjecti, aut ab ea excludi; ut in hac propositione: cir-

culus est rotundus. Mediata verò, quando in idea subjecti distinctè perspicitur ratio, ob quam eidem idea praedicati certissimè, aut conveniat, aut repugnet; ut in hac propositione: anima humana est incorruptibilis: etenim in idea animae humanae comprehenditur simplicitas, quae est ratio invicta, cur illi competat incorruptibilitas.

186. Porro evidentia cum in rebus philosophicis certitudinem pariat, triplicis quoque generis est, metaphysica, physica, et moralis. Evidentia metaphysica dicitur, quae versatur circa axiomata metaphysica. E. g: cogito, ergo sum: quodlibet est, vel non est. Physica nuncupatur, quae usu sensuum acquiritur. E. g. dum clarè Petrum è Regione stantem aspiciamus, existentiae Petri evidentiam physicam adipiscimur. Moralis deniquè, quae ex gravissimorum testium auctoritate deprimitur: ut esse Romam, Matritum, Americam: tum etiam extitisse

tisse Marium, Augustum, Cicero-
nem, aliaque hujus generis multa
nobis cognita aliorum testimonio.

187. Jam verò evidentia prout re-
peritur in mente, aliquandò eviden-
tiae opponitur: nàm totum id quod
evidens, et certum nobis est, haud
verùm etiam in se est; sed illud
dumtaxat, quod ex recto rationis
usu evidentè, et certè cognosci-
tur: sedulò igitur, et accuratè in-
quiratur, quomodò ad evidentiam
pervenerimus; ac profectò ex dua-
bus oppositis unam fallacem eviden-
tiam fuisse reperiemus.

De probabilitate.

188. **Q**Uod probabiliter cog-
noscimus, non eo modo, quo cog-
noscimus, ex necessitate est; sed esse
potest modo omninò opposito. Undè
probabilitas quaecumque sit, non
omnem scrupulum avertit; mens
enim, cum intueatur probabile posse
esse absolutè falsum, menti etiam

poterit eidem haud planè acquiescere. Sic probabilis matutinae serenitatis futuritio, si in sero coelum rubens fuerit: nam etsi non semper, frequentius tamen serotinam coeli rubedinem matutina ejusdem serenitas consequitur.

189. Hinc probabilitas, vel est intrinseca, vel extrinseca; prima rationibus fundatur, secunda auctoritate: quare, qui auctoritatem faciunt, aut aliqua, aut nulla impelluntur ratione; si hoc nulla ex iisdem oritur probabilitas; ita verò si illud. Utriusque ergo probabilitatis principium sunt rationes; cum hoc tamen discrimine, ut intrinsecam proximè, extrinsecam verò remotè constituent.

190. Praeterea res non dicuntur esse in se probabiles, sed nobis dumtaxat: quidquid enim est, reverà aliquo modo est; atque rebus, et ideis convenientia, vel pugna necessariò inter se inest, cum fieri haud possit, ut neutram, vel utramque habeant; convenientia autem illa, vel pugna quae

quae inter ipsas reperitur, aliquandò à nobis cognoscitur probabiliter, et tunc res evadit ex parte nostrum probabilis, ut patet in exemplo superius allato.

191. Ex quo apparet probabilitatem, quemadmodum evidentiam, et certitudinem, relativam esse iis, qui intelligunt: fieri enim potest, imò plerùmque fit, ut aliquibus certa, vel probabilia videantur, quae aliis dubia, aut etiam ignota sunt.

192. Itaque eo probabilior res est, quo rarius fallunt indicia, quae pro ejus veritate pugnant; et vice versa eo improbabiliior, quo frequentius ejus indicia fallunt; ut si ex centum observationibus mihi constaret rubedini coeli nocturnae nonagesiès succesisse serenam alterius diei tempestatem, major foret probabilitas, quam si octogesiès tantùm intra easdem centum observationes contigisset; siquidèm in priori intra centum casus deciès tantùm; in posteriori verò intra centum vigesiès illud indicium fefellisset.


193. Quarè generatim, ut inter probabilioreſ haberi poſſet res, vel plura, vel saltèm in pari numero firmiora obtineat indicia necesse est. Rectè igitur facimus, dùm ubi ad certitudinem perspicuam pervenire nobis haud conceditur, complura ad sententiã propositã firmandã argumenta; conglomeramus, ut hac ratione majorem saltèm illi probabilitatem conciliemus. Hujus rei exemplum nobis præstat Cicero, tùm sæpè aliàs, tùm præsertim in præstantissima illa, quam pro Milone protulit, oratione. Quas enim non rationes congerit, quibus probabilissimè efficiat, structas fuisse à Clodio Miloni insidias?

194. Profectò hac in re probè tenendum est non tàm numerum, quàm argumentorum pondus attendi debere; frequens enim est, ut unicum argumentum tanti sit roboris, ut complura etiam in partem oppositam infringat, et enervet ponamus. E. g. Petrum eam plateam ea

hora, qua Didacus occissus est, cum gladio cruento percurrisse, hoc certè indicium plurium argumentorum, quae pro ejus innocentia afferri possent, vim enervabit; sed tamen certitudinem non efficit, cum fieri potuisset, ut Petrus abjectum ab homicida ensem apprehenderit.

195. Ut indiciorum probatio formetur, ut adsint complura indicia, postulamus; ut inter se minimè unita sint, adeo ut aliud ab alio pendeat; ut omnia ad evidentè demonstrandum factum principale conferant; et ut unumquodque eorum innoxium sit duorum integrae fidei testium dictis. En exemplum. Ponamus hominem occisum esse, cadavereque inspecto, in ejus pectore inventum fuisse gladium homicidam. Hujus criminis Petrus insimulatur, accusatioque sequentibus judiciis fundatur: duo integrae fidei testes, cum haud longè essent remoti à loco, ubi repertum fuit cadaver, se vidisse accusatum fugientem consternatione ple-

plenum, asserunt. Alii duo testes probi illum vidisse sanguine tinctum affirmant. Alii duo deponunt se vidisse illum ementem ense, qui in cadaveris pectore invenitur, et venditor hoc haud negat: haec est indiciorum perfecta probatio adversus accusatum.



196. Quod si pro supradictis iudiciis sequentia adessent: duo testes qui se vidisse accusatum fugientem asseverarent; alii duo dicentes se illum in domum properè redeuntem vidisse: alii duo affirmantes se aspexisse eum mulam conducentem ad egrediendum extra regnum; ÷ nùm hoc efficere indiciorum probationem? neutiquàm: etenim haec omnia tria iudicia nihil ampliùs efformant, quàm unum solum, fugam nempè; unumque solum iudicium certitudinem non efficit, ut intuenti patebit.

197. Hinc probabilitatis doctrina, quantum utilitatis vitae civili afferat, is solus non intelligit, qui nunquam

quàm cum hominibus consuetudinem habuit, aut eo modo habuit, ut ventris obedientia, non mentis usu regeretur; pleraque enim negotia homines occupantia non evidentibus principiis, sed probabilibus nituntur. Quamobrèm, qui probabilitate majori haud contenti scientiam, ac demonstrationem in omnibus quaerent; qui manducare nollent, nisi demonstrativè cognoverint hunc cibum esse ad sese nutriendos sine nocumento aptum; qui negotia sua tandiù differrent, donec de felice eorum eventu evidentèr convincantur: ii certè tanquàm deliri ab hominum societate essent explodendi.

PARS TERTIA LOGICES.

° *De ratiocinio, et demonstratione.*

CAPUT I.

198. **S**I convenientiam, vel pugnam quae inter ideas re-
pe-

peritur, non illicò cernamus ex simplici earumdem comparatione, ad eam detegendam utimur ratiocinio. Ratiocinamur itaque, quia mentis intuitu illas omnium idearum relationes minimè percipimus; atque ratiocinando, ideas de quibus ignoramus, an inter se convenient, vel pugnent, cum aliis ex quibus id deducatur, comparamus.

199. Ratiocinium igitur, sive ratiocinatio dicitur assensus, quem mens convenientiae, vel pugnae duarum idearum ob cognitam earumdem cum tertia assumpta convenientiam, vel repugnantiam praestat. Sic ut sciamus, num idea incorruptibilitatis conveniat animae humanae ideae, tertiam entis simplicis ideam usurpamus, et cum hac successivè duas priores conferimus: deprehendimus igitur primùm, maximam adesse inter entis simplicis, et incorruptibilitatis ideas convenientiam; deindè etiam eandem convenientiam inter entis simplicis, et
ani-

animae humanae ideas reperiri. Quare visa utriusque hujus ideae convenientia cum tertia assumpta, quae ex usu recepto media vocatur, eandem quoque inter eas dari statuimus, et inferimus: ergo anima humana est incorruptibilis. Hoc iudicium erit ratiocinatio.

DEMONSTRATIO.

CAPUT II.

200. **I** Deas ergo, in quibus demonstratione versamur relative ad nostram cognoscendi vim inter se distantes esse nemo inficiabit; quae quidem distantia impedit, ne utrum ipsae convenient, vel pugnent, illicè cernamus. Ejusmodi autem distantia idearum mediarum ope tollitur, dummodò aptae adhibitae sint, ita scilicèt ut declarent quam relationem cum illis à se distantibus habeant; indè enim quo pacto ad se mutuò referantur, clarè innotescit.

201. Demonstratio itaque ex principiis certis, ac evidentibus, ut sunt definitiones, axiomata, experientiae certae, et propositiones jam demonstratae, conficitur.

202. Porro non uno tantum modo instituitur demonstratio; sed id diversis nominibus expenditur: scilicet à priori, et posteriori; directa, et indirecta. Demonstratio à priori est, quae à causis descendit ad effectus, ab essentialibus rei ad attributa; ut si ex simplicitate animae humanae ejus incorruptibilitatem demonstremus. Demonstratio verò à posteriori ea est, quae ab effectibus, vel ab attributis ad essentialia ascendit, qualis est demonstratio Dei existentis à rebus creatis.

203. Demonstratio directa, seu ostensiva est, cum ex ipsa subjecti idea evincitur eidem convenire, vel repugnare praedicatum; ut cum dicimus: ens necessarium est aeternum; sed Deus est ens necessarium: ergo Deus est aeternus.

204. Hinc demonstrationem directam conditurus, primo ideam distinctam tam subjecti, quam praedicti propositionis demonstrandae animo informet, eamque per legitimam definitionem exprimat; deinde eliciat axiomata, aut alioquin recepta, atque ad praesentem materiam accommodata, uti et propositiones, si quibusdam egeat, alias jam demonstratas inquirat: quae deniquè omnia hoc modo disponat.

205. Sit demonstranda haec propositio: anima humana est incorruptibilis, quod quidè secundum instructionem datam ita fit. Quod cogitat est ens simplex (*proposit. demonstr.*); sed anima humana cogitat (*defn. anim.*): ergo anima humana est ens simplex: ens simplex non habet partes (*defn.*); sed anima humana est ens simplex (*conclus. praeced.*); ergo anima humana non habet partes; quod non habet partes, non potest resolvi in illas (*axiom.*); sed anima humana non habet partes

tes (*conclus. praeced.*); ergo anima humana non potest resolvi in partes: quod non potest resolvi in partes, est incorruptibile (*defin. incorruptib.*); sed anima humana non potest resolvi in partes (*concl. praeced.*): ergo anima humana est incorruptibilis, quod erat demonstrandum.

206. Demonstratio indirecta, sive apogogica ea dicitur, quae contradictoriam propositionis demonstrandae interea ut veram assumit, atque ex ea legitimae argumentando conclusionem denique manifestè absurda deducit. En exemplum. Sit demonstranda indirectè haec propositio: Deus est aeternus; primùm ejus contradictoriam ponamus esse veram: Deus non est aeternus: tùm videamus quae conclusiones ex hac legitimè profluant; igitur Deus non sit aeternus; ergo non semper fuit; ergo habuit initium existendi; ergo est productus; ergo vel à se, vel ab alio; utrumque verò est evidentè absurdum;

dum; si enim à se est productus, aliquandò simul existit, et simul non existit; si ab alio; Deus est creatura.

207. Hic tamen abs re haud erit animadvertere demonstrationem indirectam à directae praestantia in eo deficere, quod intellectum veritatis cognoscendae avidum non satis illuminet; non enim ostendit, quomodò res sit vera; sed solùm falsam non esse irrefragabiliter evincit, aque adversarium eas in angustias detrudi, ut vel evidentè absurda admittere, vel veritatem pertinacitè negatam fateri cogatur. Quare ejusmodi demonstratione uti non debemus, ubi directa in promptu adest, nec illam cum hac consociare, ut majus veritati pondus accedat.

De syllogismis.

o CAPUT III.

208. **Q**Uam optimè scio, quae in syllogismum, universaeque dialecticorum argumenta con-
ges-

gesserint, atque amplificaverint quidam recentiores Philosophi, quibus libenter concederem, si opus esset, tantam sillogismorum non esse praestantiam, ut inventionis facultate excellant; ex universalioribus enim minus universale colligunt, quod proinde in illis notum jam fuerat. Quapropter id tantum muneris habent, ut ideas, earumque relationes uno potius quam alio aspectu exhibeant, et suo quodam modo, quod jam in promptu erat, declarent.

209. At modus hic syllogismi proprius, si praetermittantur cavillationes, sophismata, atque argumenta, quae demonstrationem haud promovent, non ineptus est ad demonstrandum, et convincendum; quin potius vis non solum evidentis demonstrationis, sed etiam convincendi in syllogismorum serie ordinata reperitur. Profecto singuli ex relationibus cognitis duarum idearum cum tertia relationem illarum mutuam inferunt; singuli se invicem
com-

comprobant, donec ad aliquem de quo nullum omninò dubium, nullusque scrupulus oriri possit, deveniatur.

210. Hinc factum est, ut non solum Scholastici, sed ab ipsa Philosophiae instauratione melioris notae Logici totam syllogismorum rationem haud prorsus neglexerint, atque censuerint, extrema opposita hac in re, sicut in reliquis sedulò cavenda esse, ita ut aequè vitiosum sit, nimium, et nihil in syllogismis immorari.

211. Syllogismus itaque dicitur argumentatio, sive oratio, in qua ex duabus propositionibus terminum communem habentibus, tertia elicitur per comparisonem terminorum, qui in duabus prioribus sunt diversi. Sit haec propositio controversa, seu quaestio: anima est immortalis; jam relatio inter ideas ejusdem simplici intuitu non cernitur: comparandae igitur sunt cum alia, ut ea deducatur; haec autem esse potest simplicitatis idea, ex qua
et

et ex illis duabus ita formatur
syllogismus.

Quidquid est simplex, est immortale;
atqui anima est simplex:
ergo anima est immortalis.

212. In prima propositione comparatur idea simplicitatis cum praedicato quaestionis; in secunda cum ejus subjecto; in tertia denique infertur convenientia subjecti cum praedicato, ex quo haec duo convenient cum una, eademque simplicitatis idea: praedicatum quaestionis dicitur major terminus, subjectum minor terminus, et ambo vocantur extremi; idea demum simplicitatis medius terminus audit.

213. Syllogismus igitur constat ex tribus propositionibus mutuò connexis, quarum prima vocatur major; secunda minor, et ambae simul praemissae; tertia consequens, si consideretur ut propositio; vel consequentia, et conclusio, si sumatur ut ex praemissis descendit.

214. Hinc propositiones, et termini

ni sunt materia syllogismi; ejusmodi verò forma est qualitas, materiaeque dispositio ad concludendum apta: undè bona esse potest forma, non sic materia, et vicisim neque una ab alia pendet. Ut materia bona sit, propositiones debent esse verae; forma autem bona est, quandò propositiones et termini tales sunt; atque ita dispositi, ut in eisdem vis illationis contineatur. Cum tam materia, quàm forma multiplex, et varia esse possit, indè multa etiam argumentorum genera existunt.

215. Ex quibus sequitur syllogismum hisce inniti principiis, nempe ea, quae identificantur cum tertio, identificantur inter se; et si ex duobus unum identificetur cum tertio, non sic verò alterum ea neque identificantur inter se.

215. Porrò dum extremi cum medio conferuntur, contingere potest, primò ut uterque cum medio conveniat; secundò ut alteruter dumtaxat; tertio ut neuter: in primo casu

sed amicus meus est alter ego:
ergo secretum fidei meae commis-
sum non prodo, ubi de eo cum
amico colloquor.

Sunt enim quatuor termini, quia
in majori propositione medium su-
mitur pro eadem propriè persona,
in minori metaphoricè, et realitèr
pro persona altera.

II.

218. Medius terminus neque ex
toto, neque ex parte conclusionem
ingrediatur: ex ejus enim compara-
tione ad extremos in conclusione
colligitur, nùm ii inter se conve-
niant, vel repugnent. Conclusio ergo
constabit ex quaestione. Contra hanc
legem peccant hi syllogismi.

Omnis virtus est honesta;

sed pietas est virtus:

ergo aliqua virtus est honesta.

Omnis habitus honestus est lau-
dandus;

sed pietas est habitus honestus:

ergo pietas honesta est laudanda.

219. Medius terminus semel saltem universaliter sumendus est: nam particulariter bis sumptus, accipitur in diverso sensu, quem singuli ex extremis quibuscum conferitur in praemissis, determinant: quare tunc duo essent medii termini in syllogismo. Ex hac lege infertur medium terminum esse non posse utriusque praemissae attributum in syllogismis affirmantibus: hinc male concludit hic syllogismus.

Quidam homo est sanctus;
 sed quidam homo est fur:
 ergo quidam fur est sanctus.

Neque enim ille homo, qui est fur, continetur in numero eorum, qui sunt sancti.

220. Excipitur tamen ab hac lege terminus medius, si sit singularis; etenim cum determinatum semper individuum significet, ab omni aequivocationis periculo procul abest: inde bene sic argumentatur.

Plato fuit discipulus Socratis;
 sed Plato fundavit sectam Academicam:
 H

ergo aliquis discipulus Socratis fundavit sectam Academicam.

IV.

221. Syllogismi praemissae nequeunt esse ambae negantes. Hujusmodi autem illae censeri debent, in quibus particulae negativae subiectum ab attributo separant; non verò hae, in quibus indicant attributum negativum, seu privationem; sic nulla est conclusio, si dicam:

Nullus homo est immortalis;
nullum brutum est homo:
ergo nihil sequitur.

Etsi omnes propositiones sint verae.

V.

222. Una ex praemissis implicite contineat conclusionem, et altera ostendat in ea contineri: consequentia enim debet oriri ex praemissis; et praemissae inter se connexae sint oportet, ut jam diximus. Sit exempl.:

Omne bonum est expetendum;
sed virtus est bona:

ergo virtus est expetenda.

223. In majori enim omne bonum est expetendum implicite continetur conclusio, nempe virtus est expetenda; minor vero declarat, virtutem esse bonum, quod debet expeti; proindeque in majori comprehendi virtutem esse expetendam.

VI.

224. Ex duabus praemissis particularibus nihil concluditur; una enim ex illis implicite non continet conclusionem, neque alia ostendit in ea comprehendi. En exemplum.

Aliqua ira est virtus;

sed aliqua virtus est mansuetudo:

ergo aliqua mansuetudo est ira.

Ex quo nihil infertur.

VII.

225. Conclusio semper sequitur debiliorem partem: debilior autem pars (sic enim dialectici sese expediunt) est propositio negans praeaffirmante, particularis praeuniversalis, et ita de reliquis: quare si una
prae-

praemissarum sit negativa, conclusio erit negativa; et particularis, si una praemissarum fuerit particularis.

226. Haec de syllogismo simplici; nunc brebiter de aliquibus syllogismis compositis, nonnullisque argumentorum generibus. Syllogismus itaque compositus dicitur, cujus una praemissarum est propositio composita. Quarè triplex est, vel disjunctivus, vel conditionalis, vel conjunctivus.

227. Syllogismus disjunctivus ex majori, quae sit propositio disjunctiva, conficitur; in minori autem una pars tollitur, ut adstruatur altera, vel contrario. E. g.

Universum vel est creatum, vel increatum;

atqui creatum:

ergo non est increatum.

228. Porro in syllogismo disjunctivo servanda est haec lex: affirmato quocumque membro, aut pluribus reliqua negantur, et negato uno, aut pluribus caetera affirmantur.

229. Syllogismus conditionalis fit ex praemissis, in quarum una suspenditur iudicium, quod in alia exprimitur: ejus igitur major conditionalis est. E. g.

Si Deus est, ens independens est;
sed Deus est:

ergo ens independens est.

230. Prima majoris pars vocatur antecedens, alia consequens. Ex veritate antecedentis in hoc syllogismo infertur veritas consequentis; et ex falsitate consequentis falsitas antecedentis; non ita verò negato antecedente negatur consequens, vel posito consequente ponitur antecedens, nisi sit necessarius nexus consequens inter et antecedens, adeo ut illud ex antecedente necessario sequatur: quare hic syllogismus unica hac lege nititur: affirmata conditione affirmatur quoque conditionatum; et negato conditionato negatur conditio.

231. Syllogismus conjunctivus est cujus una praemissarum dicitur pro-

po-

positio copulativa, et quidem negativa, cujus membra ita sibi opponuntur, ut simul vera esse non possint; ut cum dico:

Nemo potest servire Deo, et mundo;

sed multi serviunt mundo:

ergo multi non serviunt Deo.

232. Hinc syllogismus conjunctivus hanc sequitur legem: affirmato quocumque membro, reliqua negantur.

233. Dilemma est argumentatio, in qua primò ponitur propositio disjunctiva, de cujus singulis partibus tam si ab adversario negentur, quàm si concedantur, demonstratur, aequè ipsum refellere. Celebre est illud Tertulliani pro christianis adversùs Trajani decretum:

Vel nocentes sunt christiani, vel innocentes;

si nocentes cur inquiri prohibes; si innocentes cur delatis poenam irrogas:

ergo vel non rectè prohibes inquiri, vel illos delatos non jure afficis poena-

234. Ut bonum sit dilemma, nulla pars in propositione disjunctiva omitti debet; quod ex singulis partibus ostenditur, firmis rationibus innixum sit oportet: tandè hujusmodi esse debet ut in arguentem retorqueri nequeat.

235. Entimema dicitur syllogismus imperfectus, in quo ex una praemissa enunciata, altera subintellecta, infertur conclusio. E. g. Mens cogitat: ergo est spiritus.

236. Sorites ab acerbo propositionum nuncupatus ita construitur, subjectum primae propositionis ex subjecto quaestionis desumatur; subjectum secundae ex praedicato primae, et ex praedicato secundae subjectum tertiae, atque ita progrediatur donec consequentia descendat, cujus subjectum sit illud primae propositionis; praedicatum verò à praedicato ultimae haud distinguatur. E. g.

Anima humana est ens simplex;
 ens simplex non componitur ex
 partibus;

Quod

Quod non componitur ex partibus,
non est resolubile in partes;

Quod non est resolubile in partes;
est incorruptibile;

ergo anima est incorruptibilis;

vel ; Quodlibet corpus est in aliquo
loco;

Quod est in aliquo loco, potest etiam
esse in alio loco;

Quod potest esse in alio loco, po-
test mutare locum;

Quod potest mutare locum, est
mobile:

ergo quodlibet corpus est mobile.

237. Inductio dicitur argumenta-
tio, in qua quod de singulis, sive
generibus, sive speciebus, sive in-
dividuis affirmatur, vel negatur, ge-
neratim de toto genere, aut specie
concluditur; ut si dicatur:

Aurum, argentum, cuprum, plum-
bum, ferrum, stannum, platina,
igni injecta liquefiunt:

ergo omne metallum igni injectum
liquefit; vel:

Infans, puer, adolescens, vir, se-
nex; suis obnoxii sunt vitiis;

ergo nulla hominum aetas à vitis
exempta est.

238. Inductio nuncupatur completa,
si omnia individua, aut species, aut
genera subjecta enumerentur; incom-
pleta verò, si quaedam omittantur.

239. Paralogismus, sivè sophisma
est argumentatio, quae vitio labo-
rat, atque forma legitima destitui-
tur; sic sophista quisque evadit cum
argumentatur;

Quod non perdidisti habes;
sed non perdidisti centum aureos:
ergo habes centum aureos, vel:

Mus est syllaba;
sed mus rodit triticum:

ergo syllaba rodit triticum.

240. Sed tandem hìc praetermit-
tenda sunt varia alia sophismatum
genera, de quibus fructu permodico
disserunt quàm plurimi Logici. Ex
legibus superius adductis tuto, et
facile dignosci possunt; scilicet
quae in eas peccant, in sophisma-
tum numero collocanda sunt. Quare
advertere sat sit sophismata in eo
ple-

plerùmque esse reposita, quod medius terminus non rectè cum extremis jungatur, quatuorque sint termini in argumentatione. Indè etiam sophisma existit, si nempe propositiones adhibitae aptae non sint, ut ex his probanda deducatur; quod quidem non praeceptis debet ostendi, sed ex tota quaestionis indole erui.

De scientia, et fide.

CAPUT IV.

241. **O**Mnis cognitio clara, et evidens rationis usu comparata vocatur scientia. Haec autem duplex est; intuitiva, et demonstrativa. Intuitiva dicitur cum ex sola idearum comparatione earumdem convenientia relucet; sic intuitivè scio me esse; cogitare; circulum esse rotundum: totum esse majus sua parte. Demonstrativa verò cum idearum conexio ope unius, vel plurimum etiam aliarum intervenientium detegitur; sic animam esse incorrup-

tibilem deprehendo ope ideae mediae entis simplicis.

242. Praeterea facilitas, qua gaudet mens propositionem aliquam ex principiis omnino certis deducendi, sive demonstrandi veritatem aliquam, scientia habitualis nuncupatur.

243. Fides dicitur assensus, quem propositioni praestamus propter auctoritatem dicentis, ipsamque propositionem credere dicimur; sic credimus à Caesare Gallos devictos esse; Ciceronem Consulatum gessisse. Hinc fides alia est divina, alia humana, prior est qua Deo affirmanti credimus, posterior qua hominibus; in fidem divinam error cadere nequit; Deus enim nec fallit, nec fallitur; at fides humana ex se errori obnoxia est.

244. Porro fidem inter et scientiam hoc discriminis est, quod in scientia clarum subjecti, attributique nexum evidentè agnoscamus; in fide verò eum haud cernimus quidem, sed tamen ob enarrantis aucto-

toritatem credimus. Quomodo autem fides humana certitudinem adquirat, nunc expendemus. Theologorum munus est de fide divina disputare.

245. Saepè nos veritatem inquirentes, cum neque periculum facere, nec ratiocinio perspicuo, et accurato aliquid efficere valeamus, cogimur eorum auctoritati, qui vel rem experti sunt, vel ab expertis receperunt, assentiri, ipsamque credere propter scribentium auctoritatem, et probitatem. Attamen cum hi qui nafrant, vel imprudentia, vel malitia falsum frequenter obtrudant, oportet, nè imprudentes decipiamur, quo pacto verae, et falsae narrationes secerni possint, internoscere.

246. Ut verò fidem testi prudentius praebeamus, tria dilucidanda sunt, 1.º Qualitas testis. 2.º Res narrata. 3.º Modus narrandi.

247. Testes non omnes aequè sunt aestimandi. Alii sunt prudentes, et peracris iudicii; alii indocti, et hebetes. Quidam studio partium ad-

dicti:

dicti: quidam liberi judicant. Nonnulli sunt boni: alii improbi, et mendaces. Sunt quidam oculati: quidam auriti: et hi rursus, vel cum eo quod narrant, simul extiterunt, vel ei coevi, vel longè sunt illo posteriores.

248. His ita stabilitis duo ponimus axiomata, ex quibus quaedam leges deducuntur.

I.

249. Quo magis certi sumus, testem nec voluisse, nec potuisse nos decipere, eo firmiorem fidem ipsi praestare debemus.

II.

250. Utrùm quis nos voluerit, vel potuerit decipere ex narrationis adjunctis, quae vel pugnant, vel alio vitio infuscantur, dijudicandum est.

*DE TESTIUM QUALITATE
hae praemittuntur regulae.*

I.

251. **T** Estimonium viri prudentis, et exercitati iudicii
rem

rem narrantis, quae peracre iudicium requirit, praefendum est indocti testimonio. Quod si rem aliam enarret, est aequalis ponderis. En exemplum: si duo homines phenomenon physicum à se visum narrent, nempè cometam, novam stellam cet. nemo sanae mentis cultiori, et sapientiori esse credendum negaverit, alter enim forsàm rem non expendit accuratè. Verùm si ambo rem narrant, quae sensibus tantùm sine ullo ratiocinio acquiritur. E. g. se vidisse hominem ab alio occidi; removendus haud est indoctus à testimonio ferendo.

II.

252. Testimonium hominis, qui partium studio non movetur, praeponi debet ei, qui in alterutram partem propendet.

253. Itaque dignoscitur, utrùm homo in alterutram partem voluntatis affectu propendeat ex adjunctis Patriae, Religionis, Sectae cet. Sic homini Lusitano referenti, Hispanos exer-

exercitus fessos, fugatosque à suis, magnam vim hostium peremptam, et id genus alia, nisi eum adjuvent aliae circumstantiae, haud sine temeritate credendum est: ejusmodi enim gentis emulatio, emulationisque causa omnibus notissima est.

III.

254. Testis oculatus merito suo antefertur aurito. Quod si oculatus non adest, aurito, eique prudenti fides praestanda est. Nam oculatus narrat quod vidit; eorum verò qui audiunt, quilibet aliquid, vel addit, vel mutat: quare non tam locupletēs sunt testes. Quod si auritus, et prudens, et probus ea quae ab oculato audivit, intelligat, memoria teneat, verbisque propriis efferat, nulla est causa, cur à testimonio removeatur; quin potius tunc oculato aequivalet.

IV.

255. Auriti testimonium accuratè est scrutandum usque donec ad eum, qui

qui primo retulit, perveniamus. Hoc modo, et ex quo fonte hauserint, et quid de his sit judicandum, penitus cognoscemus.

V.

256. Coevus scriptor majori auctoritate gaudet, quàm hi qui longè post vixerunt: et quò magis ab ea aetate recedunt, eo minor fides ipsis praestanda est. Quod si plurimi coevi mirificè congruunt, moralis evidèntia adest.

*REGULAE DE REBUS,
quas narrant, praemittuntur.*

I.

257. **N**arratio, in qua quaedam continentur, quae, vel sibi mutuo, vel veritati certo cognitae repugnant, falsa est. Etenim hujusmodi narratio contradicèntia praesefert, seù talia enunciat, quae fieri omninò haud possunt: igitur non est probabilis.

II.

258. Si unus testis, quantumvis locuples magna narrat, parum fidei meretur; potuit enim aliqua de causa decipi. Sin plures integrae fidei, quamvis diverso modo ea referant, plus habent ponderis; sed multo plus habebunt momenti, imò prorsus plenam fidem efficient, si eisdem verbis, si oculati, si personae publicae, si jurati testentur.

III.

259. Si res sit minus mirabilis, et incerto rumore habeatur, parum probabilis est. Sin autem unus, probusque testis oculatus eam confirmet, plus habet ponderis; majus verò, si plures oculati eam referant.

260. Hinc etiam eadem ferè regulæ ad explorandam historiarum, scriptorumque fidem, ac sinceritatem adhibendae sunt.

I.

261. Falsitatis character haberi
I po-

poterit, si liber aliquis, de quo disseritur, à nullo, vel coevo, vel antiquo scriptore memoretur.

II.

262. Suppositionis indicium erit, si liber ille dogmata, opinionisque contineat, quae ab opinionibus illis, quas scriptor ipse in sinceris aliis, certisque libris expresserat, abhorrent, nisi aliundè constet ejusmodi scriptorem sententiam retractasse.

III.

263. Falsitatis argumento laborat liber ille, qui adeo rudis, et ineptus, variisque erroribus interspersus est, ut indignus videatur, qui docto, eruditoque scriptori veluti genuinus ipsius foetus tribuatur, nisi alia adsint sinceritatis indicia, ex quibus conjectare liceat, librum illum ab auctore, vel dormitante, vel juniore conscriptum fuisse.

IV.

264. Suppositivus etiam meritò censi poterit liber ille, in quo maxima stili varietas observatur, si cum sinceris aliis ejusdem scriptoris operibus comparetur.

V.

265. Eximium quoque suppositivis indicium erit, si ab antiquioribus scriptoribus verba quaedam citata, vel expressa fuerint, veluti ab aliquo scriptoris libro deprompta, quae tamen in opere, cujus sinceritas inquiritur, minimè repariantur.

VI.

266. Longè clariùs libri falsitas habetur, si voces illas adhibeat, quae longe posterius inventae, vel institutae sunt, vel si illa referat, quae his temporibus, quibus scriptor ille ponitur, nondùm contingerant.

VII.

267. Maximum suppositionis indicium oriri poterit, si in libro, qui peculiari quodam idiomate conscriptus supponitur, nonnulla inveniuntur, quae idiomatis illius indoli, sive genio repugnent.

VIII.

268. Liber ille, in quo vel temporis, vel loci, vel aliae rerum gestarum circumstantiae temerè, atque infelicitè perturbantur, eaque referuntur, quae temporum illorum conditioni, moribus, opinionibus, vel sinceris aliis operibus adversantur, procùl dubiò supposititius erit.

IX.

269. Scripta, quorum nulla in priscis catalogis mentio fit, et quae neque memorata sunt ab ullo scriptorum sequentium proximè saeculorum, plerùmque ficta dijudicanda sunt. Quod quidem argumentum ex coevorum scriptorum si-

silentio nuncupatur negativum; cuius vis autem erit, si hae quatuor serventur regulae. 1. Omnes prorsus coevi scriptores sileant nemine excepto. 2. Demonstratur eos factum illud non debuisse ignorare, si accidisset. 3. Nulla possit proferri ratio, cur siluerint praeter facti ignorantiam. 4. Siluerint, cum ex officio, et libri scopo debuissent factum illud narrare.

270. Quarè ex his omnibus hucusque expositis inferri poterit, an liber propositus sit manifestè suppositivus, vel suspectus, vel denique sincerus haberi debeat.

De errore ejusque praecipuis fontibus.

CAPUT V.

271. **Q**UI propositioni falsae assensum, aut verae dissensum praestat, is errare dicitur, in ejusmodi enim assensu, vel dissensu error ponendus est; sic errat, qui judicat animam esse corpus.

272. Verùm tamen, cum ferè innumeri sint errorum fontes, in praesentiarum eorum praecipuos retegimus, et quasdam de illis regulas, ut Logices tyrones captissimè incedere condiscant, praescribemus.

I.

273. Amicr, levitatis auctor, com-
modum, utilitas, voluptas, quibus
res nobis blandiuntur, in causa sunt,
cur in iisdem decipiamur: hinc nos-
tra, et quae sunt amicorum vera
putamus, et magni facimus, atque
extollimus: hinc aliena carpimus; in
inimicis nihil probamus, omnia eo-
rum contemnimus, et tanquam fal-
sa rejicimus.

II.

274. Ex odio hominis, aut sectae
inauditos damnamus; ex gloriae cu-
piditate, et quia de nobismetipsis
honorificè sentimus, quidquid cogi-
tamus, praeclarum, et rectum ar-
bitramur, summamque ingenii fa-
cilitatem nobis tribuimus.

III.

275. Si timore corripiamur, portenta fingimus, et facile credimus: hinc etiam, quae vehementer cupimus, aut speramus, libenter admittimus: hinc laetitia gestiens, nè in res seriò incumbamus, impedit: hinc quilibet affectus ad praecipitantiam nos trahit, ad pronuncian- dum nempè de rebus ex libidine, non ex earum cognitione, et examine.

IV.

276. Qui affectu quopiam agitan- tur, nihil vident, nisi quod cum eo connexum est; nullas percipiunt ideas, nisi quae cum illo proximio- rem relationem habent; ad alias neque attendunt, neque res ipsis exhibentur, ut in se sunt, sed ut ab affectu depinguntur. Quarè, cum ita à natura formati simus, ut vi- vator in nobis impressio omnem ad se attentionem trahat, fieri nequit, ut perdurante affectus impetu ani- mus veritatis investigationi seriò appli-

applicetur; sed contingere oportet, ut quae primo affectus, non quae ratio suaserit, in veris habeantur.

V.

277. Superbia, sivè inordinatus sui, rerumque suarum amor, ubi animum occupavit, efficit, ut nihil sapiat, nisi quod suum est: hinc ejusmodi homines alios prae se despiciunt, et cum turpe putent ab aliis edoceri, malunt absurdissimos errores, si modò singulares sint, amplecti, specialis indè perspicacitatis, ac magnanimae in scrutanda veritate libertatis gloriam aucupantes.

VI.

178. Quamobrè indubitatum nobis prorsus videtur, opinioniones planè adeo absurdas, quas in antiqua Graecorum philosophia complures viguisse novimus, ex hoc praesertim fonte manasse, atque hodiè etiam nùm manare penès eos, qui magis gloriae, quàm veritatis à more ducuntur.

VII.

279. Philosophus igitur accuratè caveat, nè unquam effervescente affectus aestu judicet, expectet donec sedato tumultu sua menti redeat serenitas; eamque, quae de bono affectuum usu uberius tractat, Philosophiae partem tam lectione, quam exercicio sibi optimè perspectam reddat, quae Ethica vocatur.

VIII.

180. Qui nimia ingenii, ac perspicacitatis fiducia laborant, à solida rationum indagatione abstinere, qualibet primo occurrente contenti; statim sibi satis faciunt, dumque tamen sciendi aviditate capiuntur, magis de rerum copia, quam doctrinae soliditate solliciti sunt: hinc nascitur praecipitantia, amplissimus errorum fons, ac ferè majori hominum parti communis, ex quo innumera judicia erronea, sive in disciplinis, sive in vita civili ortum ducunt: hinc enim fit, ut tam frequen-

quentèr ex uno, vel altero facto singulari illicò universim concludamus.

IX-

281. Confusio idearum, quae contingit: 1.° Si relativae pro absolutis accipiantur; cum enim idea relativa nihil extra mentem exhibeat, sed duarum solùm aliarum comparatione efficiatur, toties in errorem incidimus, quoties per ejusmodi ideam aliquid reverà existens repraesentari arbitramur; sic cum de rerum magnitudine loquentes statuimus: Petrum esse magno ingenio, quod nihil significat, nisi collatio fiat cum aliorum ingeniis. 2.° Si abstractae pro concretis usurpentur; etenim earum quoque objecta extra mentis conceptum non existunt, ut superiùs diximus. 3.° Si clarae pro distinctis, aut hae pro adaequatis, dùm enim eo devenimus, ut rem ab omni alia distinguamus, neque quidquam amplius in ea cognitione attingere possimus,

fa-

facile nobis persuademus, nihil re ipsa aliud agnoscendum in ea latere; sic aurum ab omni alio metallo discernimus, multasque ejus proprietates cognoscimus; sed quis pro certo adstruat nullas praeterea in eodem inesse, aut etiam inter aurum unum, et alterum nullam omnino reperiri differentiam? ideas hoc modo confundunt, qui reales substantiarum existentium essentias nobis notas esse putant.

X.

282. *Malus vocabulorum usus.* Eo pervenit consuetudo, ut in tenella aetate vocabula memoriae mandemus, nondum accuratis de rebus ipsis, eorumque significatione ideis mente efformatis, quid jam verò inde consequitur? id, ut loquentes vocibus, quibus utimur, non adjiciamus, nisi ideas confusas, obscuras, aut omnino nullas, utque quoties per reliquam vitam eadem vocabula ab aliis proferri audimus, easdem quo-

quoque imperfectas ideas in animo excitemus, quae infinitis ferè erroribus occasionem praebent. Quare ad hunc errorum fontem obruendum necesse est, ut qui philosophari incipiunt, vocabula, ideasque illis adhuc substitutas de novo in examen revocent, vitiaque jam inveterata per seriam idearum quasi correctionem emendent; praesertim verò in id incumbant, ut singulis, quibus utuntur vocabulis, quantum fieri potest, claram et distinctam ideam adjungant; nimis enim frequens est, ut putemus nos vocabuli cujusdam potestatem, aut nunc perfectè assequi, aut saltè alias assequutos esse; quod nullo tamen modo intelligimus, sed ex longa solùm consuetudine enunciamus. Sed de his satis, abundèque dictum est (*cap. 6. part. prim.*); verùm tamen erat res haec tanti momenti, ut non immeritò hic iterùm in memoriam revocanda fuerit.

283. Quae cum ita sint, totum
erro-

erroris artificium, cognita causa, faciliùs dissipabitur, si nempe illae serventur regulae, quas in prima Logices parte de ideis, et vocibus tradidimus: quare hi errores ex perverso intellectus usu nascuntur, et in nobis non advertentibus manent; sed ex pravo liberi arbitrii usu originem ducunt errores alii, quos corrigere, et emendare ad Ethicam, non verò ad Logicam attinet.

De sapienti dubitatione.

CAPUT VI.

284. **S**apiens dubitatio est suspensio iudicii, cum veritas menti non satis splendet, donec ea accuratiori examine meliùs scrutetur. Hinc sapiens dubitatio dicitur remedium universale adversùs omnia praejudicia, aliosque errores undequaque oriundos. Qui enim veritate non satis relucente iudicium suspendunt, in iudicando opiniones anticipatas haud sequuntur, nec iudicium

ferunt, antequam convenientiam, vel pugnam praedicati cum subjecto clarè inspiciant; sed hi ritè judicant, atque ab omni errore remoti manent: sapienti igitur dubitatione omnia praejudicia, et errores certissimè declinantur.

285. Porro sapientem dubitationem praescribendam esse oportet: nam scepticum illud, ac universale de omnibus veritatibus etiam evidentissimis dubium prorsus inutile, et stultum est, quod olim magnae Academicorum parti, tum quoque Pirrhoni, ejusque sociis placuit, qui de omnibus sine fine, et spe discendi dubitare voluerunt, et nunc etiam placet his, quibus suave religionis jugum ferri haud posse videtur.

286. Quare sapientissimè statuit Cartesius Philosophici studii initium à dubitatione inchoandum esse, cum alia via non appareat, qua tot praejudicatae opiniones ex animo dispellantur; quod nos ita usurpandum esse putamus, ut primò dubium istud,

tud, neque ad certa, et per se evidentia, de quibus insanum, neque ad solùm religionis mysteria, de quibus nefarium foret dubitare, pretendatur. Quis unquam de hisce, aliisque propositionibus similibus, nempè totum est majus sua parte; cogito, ergo sum; homo loquitur cet. dubitare audebit? deindè etiam in rebus agendis, ubi operandi necessitas adest, à dubitatione prudentè cavere debemus; in negotiis enim quotidianis quae expediri debent, nec differri possunt, sola frequentè verisimilitudine contenti esse adducimur, nec semper rationes omnes adausim exposci queunt, dummodò nequid temerè, aut precipitantè stabiliatur.

287. Quaproptèr Logices tyrones medicamine hoc ita utantur, ut primo omnium loco mentem suam exuant omnibus opinionibus, quas anteactae vitae consuetudine temerè arripuerunt, nullamque earum amplius in veris habeant, nisi maturo prius

priùs examine probatam; attento-
 que ad rationum momenta animo
 expensam. Sed haec quasi per gra-
 dus praestanda erunt, neque enim
 mens nostra omnes simul comparat
 vires: sat erit, si in omnibus occasio-
 nibus, ubi rem quampiam seria me-
 ditatione evolvit, accuratè inquirat,
 utrùm principia, ex quibus prae-
 sentes conclusiones deducuntur, ali-
 quandò sollicitè enucleaverit; indè
 eveniet, ut non suscipiat consecu-
 tiones, nisi quae principiis certis,
 ac evidentibus innituntur. Deindè
 verò cum audit ab aliis contradici,
 impugnarique opinationes, quas ad-
 huc pro certissimis habuit, rursùm
 indaget, an unquam suae opinio-
 nis argumenta in examen vocaverit:
 id si factum non esse deprehenda-
 tur, tùm fiat, simulque oppositae
 sententiae rationes ponderentur.



PARS QUARTA LOGICES

De Methodo.

CAPUT I.

288. **C**UM satis hand sit tradi-
disse regulas, quarum
ope ideas accuratè formare, earum-
que relationem rectè aestimare, et
ex paucis principiis certam conclu-
sionem eruere possimus; aliqua pro-
fectò debet esse ratio, qua plurimae
ideae, plurima judicia, ac ratioci-
nia ita disponenda sint, ut his om-
nibus illum tribuamus ordinem, qui
confusionem, et obscuritatem men-
tis lumen obtundentem, et obcoe-
cantem depellat. Haec ratio nuncu-
patur methodus, quae generatim
definitur; via, et ratio inquirendi
verum, quod adhuc latet, et illud
explicandi, cum jam inventum est:
quare eam summo studio sectari, et
in usu ponere debemus; etenim me-

K

lius

lius est nihil investigare, quàm investigationem ullam absque methodo instituire.

De Methodo legendi, sive studendi.

CAPUT II.

289. **Q**uemadmodum ad iudicium perficiendum, veritatemque manifestandam plurimum confert rectus librorum usus; ita ad errores inducendos, et subvertendum iudicium inordinata quaedam, et praecepta legendi ratio: undè, ut cum fructu legamus; 1.º Eligendi sunt optimi in qualibet materia Auctores. 2.º Hi sunt accuratè intelligendi. 3.º Quod in illis rectum, utileque reperitur, id memoriae mandandum est.

e 290. Profectò omnes norunt magnam librorum nobis adesse multitudinem, qui inanes sunt, et nihil novi afferunt; qui jam excogitata subtilitèr, et luculentèr exposita
cor-

corrumpunt, et turbant; qui inconsideratè scripti sunt; qui deniquè opinionum, et errorum pravitate infecti manent. Maximè ergo interest per captum habere librorum delectum. Quamobrèm in primis apud se quisque constituat, cuinam scientiae incumbere debeat; indè viros sapientes, ac sani consilii consulat; adeat recentiores Biographos, qui Auctores probabiles indicant, et de multis suum ferunt iudicium.

291. Primò non solùm librorum praefatio, eorum divisio, et index appositus legatur; sed etiam è multis, quae tractant, aliquid gravius, et illustrius consideretur; indè scriptoris scopus, methodus, stilus, character, ingenium pernosci, et rectè dijudicari potest, sit necne totum opus lectione dignum.

292. Praetereà in lectione nunquam progrediamur, nisi antea constet, quid sibi velit Auctor in unaquaque periodo; quaque lecta paululùm sistere debemus, et nosmet-

metipsum interrogare hoc ferè modo. ;Qua de re hac in periodo, quam mox legimus, agitur? de hac, vel de illa materia: ;Quid de ea dicit Auctor? hoc affirmat, vel negat: et quod affirmat, vel negat; ;Qua ratione probat? hoc, vel illo utitur ratiocinio: ;Quid continet series? novam affirmationem, vel probationis jam allatae confirmationem: deinde rerum nexus, et ordo expenditur, et quomodò ad veritatem additus patuit. Cum opus fuerit, animadversiones adjiciantur; si quid sit obscurum, vel falsum, notetur, et etiam refellatur: hinc omnia paucis contrahantur, et in adversaria recenseantur.

293. Ut ex lectione librorum fructus aliquis tyronibus accedat, sequentes postulatur regulæ.

I.

294. *Ordo*, qui requirit, ut non transeamus ad subsequentiã, nisi ante-

antecedentia ritè intelligamus; cum enim in libris scientificis sequens propositio ex antecedente profluat, operam, oleumque perdet, qui propositionem quampiam temerè in medio arreptam sumit, antequàm ea quae praecesserint, rectè perspexerit.

II.

295. *Attentio lentitudini juncta*, sine qua ideas claras, ac distinctas nunquam adipiscemur: nam praecipitantia, cui vividiora ingenia praesertim obnoxia sunt, frequentèr penitus inutilem reddit laborem, quem librorum lectioni impendimus; et ita fit, ut evoluto etiam integro libro, quid legerimus, nesciamus, argumenti ipsius quandòque vix conscii.

III.

296. *Repetitio frequens*; saepiùs enim ad praecedentia redeundo res
lon-

longè clarior evadet, evenietque frequentèr, ut tùm demùm priora accuratè perspiciamus, quae tamen optimè nos jam calluisse putabamus; neque hoc mirum est: nam et ipsa praecedentium cognitio semper aliquo modo à subsequentibus pendet.

IV.

297. *Continuatio moralitèr non interrupta*; qui enim longo tempore lectionem inchoatam relinquunt, atque intereà aliis, seù libris, argumenti praesertim non satis notè evolvendis, seù negotiis conficiendis operam navant, novis ideis animum imbuunt: undè vel idearum confusio in mente oriatur, vel certè hausta jam principia è memoria excidunt, oportet.

V.

298. *Applicatio*, quae postulat, ut demonstrationes universales, quas
in

in Auctore legimus, ad casus singulares referamus, easdem in sua principia resolvamus, similemque demonstrationem in re consimili efficere tentemus: itaque certè, et argumentorum vim, ac pondus, in quo rei cardo versatur, capiemus, habitumque demonstrandi nobis deniquè comparabimus.

VI.

299. Qui ita legunt studiosè, nihil ferè ipsis excidit, aliena quasi sua faciunt, non ex auctoritate, sed ex rationibus judicant. Atque ita legent, qui alicujus operis summam illicò comprehendere, illius analysisim expeditè conficere, orationis facultate, et copia abundare volent.

VII.

300. Nullus verò ad legendum accedat aliquo partium studio, vel praeconcepta opinione incitatus: quod

quod legitur, solo amore veri legendum est. Deniquè prae caeteris observandum: *Non multa, sed multum*: sterilis enim lectio est, si meditatione non foveatur, et plus meditando, quàm legendo proficimus; sic fiet, ut pedetentim ideas, mentisque nostrae conceptus in ordinem redigamus, habilesque efficiamur ad ea, quae didicerimus, cum aliis communicanda.

De Methodo analytica.

CAPUT III.

301. **A**B analysi, seu resolutione haec methodus nomen usurpat, ab eaque inseparabilis est: quare analysis non est nisi resolutio, qua proinde compositum in partes dissolvitur; ita tamen, ut illius generatio, et productio intelligi possit. Quod ut habeatur, oportebit partes inter se conferre, et relationes perspicere, quas ad se ipsae
mu-

mutuò, et ad compositum habent.

302. Qui casu resolvunt, res ineptè secant, nec arte dividunt; qui partes omittunt, vel eas haud ita separatim exponunt, ut appareat quomodo compositum ex illis confectum sit, vitiosa, obscuriorique analysi utuntur.

303. Resolutione illud non solùm agimus, ut cognoscamus, quo pacto ex partibus generetur compositum; verùm etiam, ut rerum facultates detegantur; atque ideae simplices in unam complexam coeuntes innotescant.

304. Porrò analysis primò circa ideas instituenda est, quibus veritas invenienda continetur. Ac ita orditur, ut illarum generationem observet, omnes ideas simplices, ex quibus conflantur, discernat; in has simplices eas resolvit, et iterùm componit, ut constet, an aliquid in ejusmodi resolutione peccatum sit.

305. Qui ergo hac utuntur methodo, à simplici ascendunt ad com-

positum, et in ideis claris, atque distinctis semper versantur; clarae enim sunt ideae simplices; et compositae ex simplicibus, quae illas constituunt, distinctionem pariter, ac lumen mutuantur.

306. Quare hinc advertendum est penes Synteticos universalia esse simpliciora; aiebant enim non à rei quaerendae consideratione, et analysi, sed à definitionibus abstractis, et universalibus principiis ordiendum esse, sensim ad minus universalia descendentes, donec ad rem de qua quaerebant, pervenirent. Analytici autem potiori jure idearum compositarum elementa putant simpliciora, et facilius censent ea animadvertere, et separatim considerare, quam avocare mentem à sensibus, ipsaque concipere, quae reflexionis vim summam postulant. Interèa observetur utrosque, Synteticos nempe, et analyticos ex diversa simplicium acceptione, quamvis de rebus adeo dissentiant, in

eo tamen convenire posse, ut à simplicioribus initium capiendum esse statuunt.

307. Magna ergo est hujus methodi utilitas, atque praestantia, quae insupèr summa cum facilitate conjungitur; pauca enim, gradatimque proponit, et eo ordine, quo se mutuo ostendunt; definitiones abstractas non adhibet, plerumque re definita obscuriores; singularia praecipuè tractat, quae faciliùs prae universalibus concipiuntur, cum assiduè sensus nostros pulsent, nullaque mentis reflexione indigeant; ab ideis deniquè vagis, et indeterminatis abstinet, viamque nobis sternit tutam, et facilem, qua possimus ideas in omnes partes versare, et multiplici ratione ipsas conferre: quod est Logici.

308. At in methodo analytica, nullum dubium est, majus hoc quiddam, atque praeclarius reperiri, quod scilicet ad earum rerum, quae ignotae sunt, inventionem animos

pa-

paret, atque etiam perducatur. Quae enim nescimus, haurire è nobismet-ipsis non possumus, cum ea ignoremus; possumus igitur solùm ex aliis jam notis depromere. Ut deducamus, necesse est in primis, illa jam nota ad ignota pertinere, et ea proximè attingere; eo insuper ordine eadem considerare, in quo nexum cum ignotis habeant.

309. Haec exemplis illustrentur: sit primùm: si nobis ob oculos ponatur lata, aperta que planities natura, et arte mirificè ditata, primo intuitu omne in ea contentum cernimus, quin tunc aliquid distinguamus, nec rationem de eo, quod vidimus, distinctam reddere sciamus; quod fidem facit nos multa simul intueri posse, quin aliqua discamus; et si ita progredieremur, nihil amplius primo intuitu, quàm secundo, tertio, quarto, cet. sciremus. Verùm tamen, si ab objectis principius ordiamur; si ea successivè observemus, conferamusque ad judicandum de

relatione, quam inter se habent; si hac via eorum situm respectivum mente complectamur; si alia post alia consideremus, omnia nempe, quae inter valla implent; si singula cum objecto principe proximiori comparemus, ipsorumque posituram determinemus: tunc omnia objecta discernemus, eorum formam, et situm, comprehendendo, et unico intuitu ipsa amplectendo, atque distinctius cognoscendo. En quomodo objecta nimis composita analysi expendantur,

310. Secundum: disputaturi de homine, primum considerabimus in eo esse corpus, et animam: deinde corporis, et animae proprietates sigillatim enucleabimus: tum utriusque partis affectiones, dum conjunguntur, donec singula argumentando recenseamus, et intelligamus, ex quibus partibus, et principiis ipse homo constituatur.

311. Tertium: si animae immortalitas analyticè investigetur, oportet

tet in primis animam observari, quae cogitat; cogitatio postea enucleatur, de qua constabit, nihil corporeum habere admixtum, nec modificationem substantiae corporeae esse posse: inde concluditur substantiam cogitantem à corporea omninò discrepari; ex quo ergo una pereat, aliam quoque perire haud sequitur; corporea autem perit, quatenus in partes dissolvitur; non dissolvitur substantia cogitans, quae partibus caret: ea igitur nullo modo perit.

312. Quartum: si aliquis accuratè cognoscere velit horologium, debet illud in primis dissolvere in partes, ex quibus componitur, in singulas simul inquirendo, et postea eas in eo ordine, quo antea erant, reponendo. Ex quo fit, ut machinationem, aut aliud quodlibet objectum admodum complexum agnoscere, nihil aliud sit, quam cogitationem ex tot ideis, veluti machinationi partes insunt, conflata habere: qua-

quarè, si hac methodo litteris operam impendamus, tum haud nobis offeret nostra cogitatio, nisi ideas distinctas, et per se ipsa resolvetur; accidat, ut nobismetipsis de ea rationem reddere velimus, aut accidat, ut alteri.

313. Reverà, methodum analyticam ad inventionem comparatam esse omnes norunt. ; Erit nè verò, etiam doctrinae, et veritatum explicationi accommodata? certè quidem, nisi velimus eadem via, qua aliquis ad veritatem devenit, ipsa caeteros ad eandem non posse ducere.

De Methodo synthetica.

CAPUT IV.

314. **M**ethodus synthetica, seu omninò opposita est; non enim à consideratione objecti, et rationis, qua illius idea gignitur, neque ex ejus resolutione aditum ad illud cog-

cognoscendum recludit; sed definitionem primo statuit ex abstractis generum, et specierum ideis derivatam; inde axiomata, sive principia; et in universalibus praecipue occupatur, ordiendo ab iis, quae magis à concretis dissita sunt, atque ad haec sensim descendit, et ostendit, quo pacto cum universalibus congruant. Quare Synthesis, cum ab universalibus ad concreta descendat, ideis novas semper determinaciones addit, easque magis compositas efficit, ut tandem concretæ evadant; ideoque methodus compositionis nuucupata fuit.

315. Porro Synthesim analysi difficiliorem esse, et tenuem complecti doctrinam nemo diffitetur: etenim definitiones tradit, vel omninò verbales, vel imperfectas, vel quando nequeunt intelligi, si distinctam rerum notionem contineant.

316. Quapropter; cur non difficilior methodus, quae idearum, et cognitionum generationem haud curans,

rans, eas ordine non proponit, quo una ex alia generatur, quo sese dilucidè expendunt? ; Cur non difficilior, si ea quae conservato hoc ordine clarè paterent, definienda suscipit, et declaranda propositionibus abstractis, ad concipiendum difficillimis, et re definita obscurioribus?

317. Sic sanè illi, cum quibus hac utuntur methodo, jam eruditi, non erudiendi censentur; et, si instruendi sunt, eorum mens ingenti axiomatum, definitionum, et principiorum apparatu vexatur, cum ipsos fugiat, quo tendant, nec ea benè percipiant: namque statui nequit eos antea multorum observationi deditos, et abstractionibus assuetos fuisse.

318. Exemplum nunc afferam, quo totum hoc illustretur. Si syntheticè de animae immortalitate disputetur, hisce principiis agendum foret: nullam substantiam propriè perire; ea, quae perire dicuntur, re vera dissolvi; dissolvi autem non posse, quae partibus carent; iisdem deniquè ani-

L

mam

mam carere; ergo non potest perire: ergo est immortalis.

319. Hinc patet Synthesim ad inveniendum prorsus ineptam esse, et ad docendum minus prae analysi accommodatam. Quare fatendum est Synthesi, quatenus analysi opposita est, nullas deberi veritates; deberi autem iis, ex quibus, ut superiori capite dictum est, veritatis cognitio obtinetur.

Regulae utrique Methodo communes.

320. **O**mnis methodus, ut sit optima, debet esse brevis, facilis, et certa: cum sit brevis, non efficit, ut tempus deperdatur; cum sit facilis, claritate donatur; cumque sit certa, metam, quae veritatis cognitio dicitur, ostendit.

321. Oportet servare ordinem, quantum fieri possit, in illis rebus, quibus unusquisque incumbit: necesse est adhuc illum observare in illis negotiis, quae expendere priusquam alia, videtur indifferens. Sem-

per ordiri à notioribus oportet, et ad minus nota propius accedere, quae magis illustrantur nexu, qui illa inter, et notiora observatur.

III.

322. Haud transeundum est ex una re in sequentem, quin benè perspecta sit antecedens; intellectus enim inexplicabili progreditur facilitate, qua quo magis rerum investigatione detinetur.

IV.

323. Cognitiones nimis implexae aequè faciles redduntur, ac simpliciores: transitus enim à quarta. E.g. cognitione in quintam haud est difficilior, quàm à prima in secundam.

V.

324. Ad nosmetipsos instruendos, caeterosque edocendos, affectus purgare, neque duci nisi veritatis amore oportet. Tumultus, quem in animo nostro passiones frequenter excitant, ejus tranquillitatem, adeo necessariam ad ordine ex aliis in alias ideas procedendum, earumque nexum callendum, obturbat.

325. Nè assentiamur unquam nisi rebus, quas clarè cognoscimus, nobisque ita evidentè verae videantur, ut eas pernegare haud possimus, quin rationi injuriam inferamus.

VII.

326. Nè de rebus affectu, sed veritatis lumine ducti judicium feramus.

VIII.

327. Omni tempore claritatem, et evidentiam in nostris ideis, in nostris judiciis, in nostris ratiociniis, atque in omni serie, et nexu aliarum cum aliis cognitionibus servemus oportet.

IX.

328. Omne inutile praecidamus, quia solum intellectum impediendo in veritatis inquisitione, aut explanatione inservit.

329. Hae sunt praecipuae regulae utrique methodo communes, quas diligentè prosequi debent, qui veritatem adipisci, aliosque cognitiones humanas docere volunt. Ejusmodi regulas accuratè insequendo, prosperè adhiberi possunt ideae mediae, aequalitatem, et inaequalita-

tem rerum, quae immediatè percipi nequeunt, demonstrativè ostendentes.

330. Quare analysis magis in cilliditate, et spiritus industria, quam in regulis specialibus consistit. Propriae enim veri indagandi regulae uniuscujusque arbitrio, et intelligentiae relinquendae sunt. Neque enim omnes eadem facilitate res capiunt, neque eadem disserendi ratio ad omnium palatum potest accommodari; et idcirco, nè tyronibus molestiam afferamus, à regularum, quae in quamplurimis Logicis reperiuntur, multitudine abstinemus.

DE CONCERTATIONE

litteraria ritè instituenda.

CAPUT V.

331. **C**oncertatio litteraria fit, dum alter alterius sententiam, vel refellit, vel impugnat. Propositio, quae probanda, vel oppugnanda occurrit, vocatur quaestio: quare non omnis propositio quaestionis nomine insignitur; sed solum illae, quae certae, et seipsis

evidentes non sunt.

332. Concertantium igitur unus negat, quod alter affirmat, ac proinde sibi contradicunt. Hinc tritum illud oritur: concertantes in terminis contradictoriis versantur.

333. Eo fine potissimum instituta est concertatio, ut contrarias sententias inter se conferentes, rationumque momenta expedientes facilius percipiamus, quatenus sit vera, quatenus falsa propositio. Si tamen saepenumero concertatione veritas non eliciatur, id quorundam vitio tribuendum est, qui nihil minus, quam verum assequi intendunt.

334. Permultum autem refert, rectam disputandi viam sequi, ne et tempus inutiliter teramus, et molesti disputatores simus; quod quidem in praesentiarum illustrabimus, si primum docuerimus, quaedam praestanda esse ab utroque concertatore, quaedam ab opponente, quaedam a defendente: quae omnia breviter enucleanda sunt.

I.

335. **N**E disputatores à scopo aberrent, aut inania quaerant diverticula, adhibeantur perpetuo syllogismi, nisi quando fusiori dictorum explanatione opus fuerit; nè vero inutiles, et ad rem non pertinentes accumulentur, tempus cuilibet argumento praescriptum non nimis longum sit. Deinde temperent sibi ab ira, dicacitate, venenatis salibus, scurrilibus jocis, jurgiis, clamoribus inconditis, et calumniis; permittatur suum cuique loquendi spatium, neque unus in alterius dicta inurbanè involet; universim denique suo honori mutuo consulant, defendens responsiones accommodando, ita ut argumentum in ordine procedat, oppugnans vero modeste argumentando, neque nimium praemendo.

II.

336. Argumentum, de quo disputant, plane comprehendant. Qui enim ea oppugnant, vel defendunt, quae penitus non capiunt, omnino

fieri haud potest, quin multas dicant ineptias.

III.

337. Contradicentes propositiones sustineant. E. g. defendat aliquis, solum hominem esse animans ratiocinans. Opponens debet argumentis demonstrare, non solum hominem esse animans ratiocinans; sed etiam existere alia animantia, scilicet canem, simiam, vulpem, equum cet., quae ratiocinantur, et sentiunt. Itaque respondens liquido aperire debet, qualem ideam adjungat vocibus *komo*, *animans*, et *ratiocinans*; et statuere quid ipse defendat, quid impugnet alius; quod idem est, ac constituere statum quaestionis: si autem in oppugnanda quaestione aliquid obscuritatis lateat, oppugnans defendentem interrogationibus urgere debet, et vocabulorum interpretationem postulare, donec omnis tollatur ambiguitas: quare constituta verborum significatione, in disputationis progressu ab ea nequa-

quàm recedendum est; ex violata hac lege persaepe contingit, ut disputationes in vanissimos clamores, merasque nominum lites abeant.

Defendentis propria.

I.

338. **D**efendentis munus est argumentationem propositam accuratè repetere, atque ad singulas propositiones aptè respondere, negando falsas, concedendo veras; ambiguas, aut aequivocas distinguendo; disparem, ubi opus fuerit, rationem indicando; huc non pertinentia transmittendo; postremò etiam, si res exigat, argumentum ipsum in adversarium retorquendo.

II.

339. Defendens perpendat diligenter syllogismi partes, et consideret an in forma, an in materia sit vitium. Si in forma, vitium ostendat: Si in materia, quae, vel sit falsa, vel dubia, neget propositionem, vel limitet. Universim verò in omni ejusmodi explanatio-

ne sit clarus, brevis, ea solùm proferat, quae ad rem praesentem faciunt, inutilia, aut huc non spectantia omittat.

Oppugnantis propria.

340. **O**ppugnantis est argumentandi initium facere adhibito syllogismo, vel enthimemate; fallacias omnes, inanesque captiones sedulo vitare, atque accuratam argumentationis formam scrupulosè sectari, quin argumenta inordinata, atque inutilia ad positionem impugnandam agglomeret; aut sunt haec, aut similia: tua propositio est falsa: ergo contra conclusionem; vel hoc modo: illa propositio non est admittenda, ex qua sequitur absurdum; ita se habet tua conclusio: ergo non est admittenda. Qui enim ita disceptant, possunt ii quidem multa syllogismorum millia conjungere, quin aliquid appositè dicant ad positionem refellendam.

341. Opponens singulas respondentis propositiones refellat aliis syllogismis, donec ad principia evidētia argumentationem reducat, ex quibus adversarii sententia falsa esse ostendatur. Quod si respondens aliquid reponat, quod explicatum non sit, cogat eum opponens, quid sentiat, declarare, nē ex ambiguo disputent. Si renuat, à disputando absteineat, nē tempus frustra terat. Caetera usus docebit.

342. Porrò, si ea, quae per decursum hujus capituli allata sunt, accuratè observentur, haud erit, cur omnes generatim concertationes reprehendantur: ipsae equidē sua non carent utilitate; nam praeter veritatis explanationem, quò quidem potissimū disceptatio benè instituta tendit, ingenium acunt; promptam cogitandi, eloquentique facultatem conciliant; judicium deniquè in vero à falso distinguendo muniunt: cum enim in ipso disputationis ardore in omnem sese partem mens vertere coacta

sit, ut commodum singulis objectionibus responsum praebeat, frequentissimè contingit, ut ea tùm offerantur, quas alias in mentem, aut numquàm, aut non nisi post longam meditationem venissent. Niam tamen disputandi libidinem non probamus; ea enim haud levè est promovendarum scientiarum impedimentum: homines non tàm doctos, quàm scepticos efficit, gignitque pervicax quoddam contradicendi studium, quo invalescente, nulla doctrina adeo absurda, adeo impia reperitur, ut non aliquibus propugnatoribus gloriatur.

343. Quare hac de veritate benè persuasi multi praeclari Philosophi meritò carpunt longam illorum consuetudinem, qui priùs adolescentes disceptare cogunt, quàm altere sciunt: et idcirco Magistros, quibus publica docendi provincia imposita est, adhortantur, ut ea, quae perspicuè vera, et utiliora hominibus perdoctis, diù multumque in Logica Arte versatis visa

sunt, scienter eligant, atque tyronibus proponant, ut iis in promptu sint regulae, quibus in quolibet ratiocinio uti valeant, nec non et intelligere ordinem, quo ita omnia connectuntur, ut alia ex aliis certo, et aperte oriantur, quin unquam de hujusmodi regularum veritate, atque bonitate, omnibus notarum contendere, nec seipsos importunis, et inutilibus disputationibus, rebusque judicandi acumen retudentibus, immiscere ipsis permittatur. Duo enim officiant, quo minus puelli recte judicent: aliud quod ipsi multo detinentur rebus infructuosis: aliud quod ea, quae quodam pacto utilia forent, tam praepostere declarantur, ut non summa modo sit omnium rerum in docendo, verum etiam in utendo confusio. Hinc fit, ut, etsi nonnulla, quae in plurimis Logicis reperiuntur, in controversiam cadere possunt, tamen haec doctioribus artem disputandi callentibus reservanda sint; non vero novitiis ple-

rūmque vacillantibus.

344. Quod si missis vulgatis altercationibus adolescentes Logica institutos evadere concupiscimus, non in praeceptorum disputatione, sed in eorum ad singula argumenta applicatione eos exerceamus: hinc etiam attentio, quae immediato nexui, quem alia habet cum alia idea praestari debet ad verum iudicium formandum, perficitur; neque et ipsemet syllogismi usus inepta, inaniaque in verba, atque fallacias degenerat. Sit exemplum: aliquis, aurum, horologium, hominem, Logicam, cet. definiat: tunc alter discutiatur, an condita definitio rectè se habeat; cuius quidem contentione veritas liquebit, et litigatores fient acutiores.

345. Praeterea Auctores ipsis simus, ut deinde in optimorum librorum lectione, atque meditatione versentur, et an Logices regulae, quantum materia patitur, in eis serventur, optimèque applicentur, simul inquirent.

346. Quamobrè, qui in Ciceronis, Quintialiani, Senecae, Taciti, aliorumque scriptis perpendendis diu, multumque exercentur non solum ingenium exacuunt; verum etiam accuratiores interdum in ejusmodi Auctoribus inveniunt ratiocinationes, quas alii, licet eruditissimi, ibi delitescere nunquam suspicati sunt; et ita facilitatem optima excogitandi argumenta sibi comparant.

347. Neque enim abs re erit in exemplum adducere Milonianam Ciceronis orationem, quae si accurata expendatur analysi, tota haccine legitima ratiocinatione continetur:

*Is, qui alteri insidias facit, jure occiditur:
Clodius is est, qui insidias fecit Miloni:
Igitur Clodius jure occisus est a Milone,*

348. Si equidem omnes ideae intermediae, ex quibus ejusmodi ratiocinium conflatur, diligenter explorentur, modus, quo aliae ad alias, et omnes ad eas, quae principes nuncupantur, referantur, illico annotescet; ita ut totum isthoc, relationum nexum, qui cernitur in-

ter illas, mirificum, politiorisque Logicae regulis admodum consentaneum esse commostret: hinc pueri multa dialecticae vera principia, accuratas nempe definitiones, divisiones, judicia recta, voces puras, ideas claras, ac distinctas expiscari poterunt; Quotusquisque ergo erit ratiocinandi artis candidatus, qui similibus orationibus, cujuscumque sint generis, et idiomatis, non incumbat, evolvendis? Haec profectò exercitatio utilissima, multoque melior, quam aliae disputationes, quae laborem haud modicum, parumque commodi afferre solent, nobis videtur.

349. Haec sunt, perstudiosi adolescentibus, quae vobis, tanquam maximè utilia, proponimus: quae si pro ingenio vestro, pro discendi desiderio, uti par est, arripueritis, non poenitendum operae pretium vos facturos esse confidimus. Pauca haec sunt, sed pro aetatis ingenio satis multa.

FINIS.